REPLICATIO

CANONICA

AD RESPONSUM THEOLOGICUM SOC: PROVINCIÆ POLONÆ

IN MATERIA DECIMARUM,

PER

JOANNEM MARKIEWICZ J. V. D.
Canonicum Varmiensem, S. Jacobi Casimiriæ ad Cracoviam Præpositum, S. R. Mtis Secretarium.

ANNO M DC. L.
Cum Approbatione.

Ad Lectorem.

Tandem aliquando, post sex annos, in Materia Decimarum, prodijt in lucem Responsum Theologicum Soc: Provinciæ Polonæ, sub Nomine cujusdam Scriptoris, a Consilio Vivorum & Mortuorum Eruditi: Ut ipse de se loquitur fol: suo 81. Primo intuitu tam sublimi suo Titulo, scriptor Famosus, Magnitudine, Assistentia, Consilio, Armatura, & Maledictione sua, vt Goliath Davidi, videbatur mihi metuendus. Sed cum perspexerim scholarem esse, Status Causæ ignarum; Et controversiæ ita imperitum, vt qui Ius nunquam

professus fuerit, nec Causæ Cracoviensis ullam notitiam habuerit, nec scripta Addum R. D. Markiewicz unquam viderit, sed ordinarijs scholæ occupationibus intentus fuerit. Verba ejus sunt fol: 80. Visum est mihi aliquatenus Replicationi incumbere, & Tantum Theologum, cum Consilio ipsius Eruditum, Canonicè refutare. Quale sit istius Magni Consilij opus, Lector meus, seu Iudex benevolus judicet, quod Romæ impressum esse facies ostendit. Sed clandestinè, sine Censura, & Approbatione Rnmi Magistri Sacri Palatij, evulgatum est. Cum tamen Theologi ita Eruditi scire debuerint, nihil ex scriptis suis, juxta Ordinationem Concilij Tridentini, potuisse in lucem prodire, nisi

nisi in fronte Libri, vel impressi, vel scripti, Authentica Facultas appareret, sub pænis ibidem sancitis. Eo ipso rectus Iudex non temerè animadvertet; Polonum Theologum cum Consilio suo, aliqua, si non contra Fidem; saltim contra Bonos Mores, studiosè, & de industria scripsisse, quod bene moratus Censor, tanquam illis ipsis, qui scripserunt, pudenda, typis imprimi non permisisset. Quicquid sit, hoc Ill^rum & Rn^morum D. D. Lociordinariorum, & eorundem Vicariorum, quibus id ex officio examinare incumbit, judicio relinquo. Cœterum tanquam Cathedralis Canonicus, & I V. magis Studiosus, quàm Doctor, modestè replicaturum me polliceor, cum immodestè, nec velim, nec possim, nec debeam. Vtantur illi malis Vocabulis, qui bonis argumentis causam suam tueri non possunt.

Ego in bonam partem omnia interpretor, & famoſum libellum mihi obiectum, eo ſenſu accipio, quo Statutum Regni noſtri vocat Militem Famoſum, alias Szlachtę, quod ex Polono Nobilem ſonat. Satis de verbis, jam ad Rem ipſam accedamus.

Approbatio Officii Varmienſis

IMprimatur. *Heilsbergæ. die 14. Auguſti, An: M. DC. L.*

Lucas Gornicki,
Adminiſtrator, Decanus
& Officialis Gen: Varm:

Status Cauſæ.

SCholaſticaTheologia Soc: Provinciæ Polonæ, format & diſputat cotra me, quinque quæſtiones. Qvatuor continent, An eſſe potuerint; An ſufficienter fuerint; Et quomodo fuerint exempti, à Solutione Decimarum per Privilegia, cum ſuis prædijs & colonis. Tandem quintâ quæſtione quærit, An controuerſia noſtra aliquos non læſerit. 1.

Reſponſio.

MOnueram, imo petieram priori meo Libello, ut
ſi quod reſponſum eidē pararetur, non ſcholaſticè, ſed Iuridicè id fieret, & in hac cauſa Decimarum potius Iuriſconſultus, quàm Theologus in Arenam deſcenderet. Quid jam prodeſt tantus labor, & ſudor ſcholaſticus, per integros ſex annos in officina Theologica Soc: Provinciæ Polonæ diſtillatus? Si pro Romanis ſcriptum, certè illi prudentiſſimi viri dicent quòd ſit *Soccorſo di Piſa*. Si pro nobis; Et nos ſcimus, Vbiq; intempeſtiuum eſſe poſt Bellum Auxilium. Iam enim Romæ, in Campo juridico, ante quinquennium; die 17. Iunij. Anno 1645. de Summa Rei pro victoria certatum eſt, per ſerias Partium Controverſias. Qvo ſucceſſu, & qua felicitate Negotium peractum ſit, audiant Theologi Eruditi Decretum, & definitiuam ſententiam Sacræ Cogregationis, & circa eandem, legant Breve Apoſtolicum, tenoris ſequentis. 2.

BREVE

De solvendis Decimis per Regulares.

INNOCENTIVS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

3. NVper pro parte Venerabilium Fratrū, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non dilectorum Filiorum totius Cleri Regni Poloniæ, per dilectum etiam Filium Matthæum Joannem Iudicki Archidiaconum Pomeraniæ nuncupatum in Ecclesia Vladislaviensi, ejusdem Cleri in Curia Romana Agentem, quòd aliàs, & sub die decima septima Iunij, Anni proximè præteriti M. DC. XXXXV. in Causa Decimarum ejusdem Regni â Venerabilibus etiam Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilii Tridentini Interpretibus, emanavit Decretum, quod nos subinde sub die xxxi. mensis Iulij, ejusdem Anni, in Consistorio nostro secreto approbavimus, tenoris qui sequitur, videlicet.

4. *In causa Decimarum Regni Poloniæ die 17. Iunij, 1645. Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium,*

Concilij

Concilij Tridentini Interpretum, iterum atq; iterum, auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Soc: Iesu, eorumq; Iuribus & Privilegijs maturè discussis, censuit, ab eisdem Patribus, & alijs Regularibus solvendas esse Parochis & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ Decimas, quæ solvebantur à Laicis, priusquam Bona in ipsorum Patrum, & aliorum Regularium, proprietatem fuerunt translata; firmis tamen remanentibus Transactionibus desuper factis. p. 8.

Quod Decretum emanavit prævia exhibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam Decreto postea consenserunt, prouti & Agens Cleri Regni Poloniæ. Die verò 31. Iulij, 1645. Sanctissimus Dominus Noster, Eminentissimo Cardinali Præfecto referente, in Consistorio approbavit. 5.

6. Cùm autem sicut eadē expositio subjungebat, exponētes præfati Decretum præinsertum, quo firmiùs subsistat, & exactiùs observetur, Apostolicæ nostræ Confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent.

7. Idcircò nos eosdem exponētes specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes,

p.4 lentes,& eorum singulares personas à qui-
busvis Excommunicationis, suspensionis,
& Interdicti, alijsq; Ecclesiasticis senten-
tijs, Censuris, & pœnis, à Iure vel à Homi-
ne quavis occasione, vel causâ latis, si qui-
bus quomodolibet innodatæ existunt, ad
effectum pręsentium duntaxat consequē-
dum, harum serie absolventes, & absolu-
8. tas fore censentes, *Supplicationibus illorum no-
mine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,
Decretum præinsertum Apostolicâ Authoritate te-
nore præsentium confirmamus, & approbamus, illiq;
inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, et
omnes ac singulos tàm Iuris quàm Facti defectus, si
qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus,
salvâ tamen semper Auctoritate Congregationis eo-
rundem Cardinalium, decernentes præsentes literas
validas, firmas, & efficaces, existere, & fore, suosq;
plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, &
9. ab omnibus & singulis quos illæ concernunt, inuiola-
biliter et inconcussè obseruari, sicq; per quoscunq; Iu-
dices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Pa-
latij Apostolici Auditores, judicari, & definiri debe-
re, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam,
quauis Authoritate, scienter uel ignoranter contige-
rit*

rit attentari. Quocirca Dilecto Filio No- *P.r.*
stro, & Sedis Apostolicę in eodem Regno 10.
pro tempore cōmoranti Nuncio per prę-
sentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunq;, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponētium prefatorum, seu alicujus eorum desuper requisiti fuerint, solenniter publicatis, *eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat Authoritate Nostra, illos præmissorum omnium commodo, et effectu pacificè frui & gaudere.* Non permittentes illos desuper à quoquā quavis Authoritate quomodolibet molestari. *Contradictores quoslibet rebelles, ac præmissis non parentes, per Censuras & pœnas Ecclesiasticas; aliaq; opportuna Iu-* 11.
ris & Facti remedia, Appellatione postposita, compescendo, legitimisq; super his habendis seruatis Processibus, sententias, Censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando. Invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio Brachij sæcularis. Non ob- 12.
stantibus quatenus opus sit felicis recor:

 Boni-

16. Bonifacij Papæ VIII. Prædeceſſoris no-
ſtri de vna, & in Concilio Generali edita
de duabus Dietis, dūmodo vltra tres Die-
tas aliquis Authoritate prȩſentium in Ju-
dicium non trahatur, alijsq́; Conſtitutio-
nibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec
non ipſius Societatis, aliorumq́; Regulari-
um Ordinum, etiā Iuramento Confirma-
tione Apoſtolica, vel alia quavis firmita-
te roboratis, ſtatutis, & Conſuetudinibus,
Privilegijs quoq́; & Indultis, & literis Apo-
ſtolicis, ipſi Societati, alijsq́; Regularibus
Ordinibus ſeu Inſtitutis prȩfatis, illorumq́;
Domibus etiam Profesſis, Collegijs, Mo-
naſterijs, & alijs locis Regularibus, ſub qui-
buſcunq́; verborum tenoribus, & formis;
ac cum quibuſvis etiam Derogatoriarum
Derogatorijs, alijſq́; efficacioribus, & in-
ſolitis clauſulis, irritantibuſq́;, & alijs De-
cretis in Genere, vel in ſpecie in contrariū
prȩmiſſorum quomodolibet cōcesſis, cō-
firmatis

firmatis, & innovatis. *Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illorum eorumq; totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret; illorum omnium & singulorum tenores præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus: cæterisq; contrarijs quibuscunq;.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 21. Februarij, 1646. Pontificatus nostri Anno 2. P. 7. 13.

M. A. Maraldus.

PRæmisso itaq; tali judicato, Volo doceri à Theologis Soc: Provinciæ Polonæ, quid intendant innovando suas priores quatuor quæstiones, jam per Decretum sopitas; vel enim Agentes, seu promotores causæ suæ inculpant, quod Romæ Theologicè nescíverint tueri sua Privilegia, & ne tale Decretum subsequeretur, præcavere. Vel expugnare Decretum S. Congregationis nituntur. 14.

Si Agentes suos & Patronos inculpant, poterant sibi imaginari Romæ causam ventilatam esse, vbi Flos Theologorum, & Summa hujus scientiæ capi- 15.

ta,

p.8. ta, respectu quorum Theologi Soc: Provinciæ Polonæ volunt sibi videri, Discipuli supra Magistros: Quorum quidam Tacitus, cui á silentio cognomen est,
16. ita nimis fastuosè de se loquitur: *Theologus scriptor à consilio Vivorum, & Mortuorum Eruditus, Controversiæ imperitus, Responsum scripsit, & Romam misit.* fol: suo 81.

17. Si Decretum S. Congregationis expugnare volunt, jam Nuncius Apostolicus, & Loci ordinarij habent Potestatem tales Theologos, tanquam in hac causa contradictores, & rebelles, &c: per censuras, & pænas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna Iuris & Facti remedia, appellatione postposita, castigandi &c. Invocato etiam si opus esset, auxilio Brachij secularis iuxta mandatum Apostolicum.

18. Frustra ergo Theologus à Consilio vivorum Eruditus sudavit, in coacervandis scholæ suæ tot argumentis, & opinionibus, pro subsistentia Privilegiorũ suorum, & Exemptionum in Materia Decimarũ.

19. Quibus replicare, easq; sacris Canonibus confutare, non esset mihi difficile, iterum ea, quæ jam non semel dicta, seu scripta sunt, repetendo, aliqua addendo. Sed quoniam Definitiva sententia ex serijs partium controversijs, jam a pluribus annis intercessit; contrarias illi quæstiones & disputationes, tanquam inutiles, & præsumptuosas, cum silentio transire volo, ne aliquis existimet, Decretum S. Congregationis tam debili fundamento innixum, ut meis

replica.

replicationibus, quasi sustentaculis quibusdam egere debeat. p.9.

Rectè conjecturare possum, Theologos Romanos, multo majora & solidiora argumenta, pro suis Privilegijs S. Congregationi exhibuisse, & sufficienter explicasse. Quibus S. Congregatio iterum atq; iterum auditis, nihilominus censuit, ab eisdem in Polonia & Decimas esse persoluendas, & Transactiones observandas. 20.

Jam ergo post tot difficultatum & controversiarum fluctus, cum simus in portu, frustra laborat Theologus cum consilio vivorum Eruditus, suis quæstionibus, quæ nihil novi adferunt, iterum nos inter fluctus evocare, & securum negotium, sine necessitate, in disputationem educere. Iam enim ego acquiesco, prudentiori Consilio Jtalico, quod suadet, *Chi sta bene, non si muoua*. 21.

Cum sic Theologus, à consilio vivorum Eruditus, quasi Leoninam pellem indutus, nihil possit lucrari, jam illâ depositâ, assumit vulpinam; & videtur esse illa ipsa annosa vulpes, quæ cum alienas gallinas invadendo, caudam suam amisisset, alijs persuadere volebat, vt etiam suas, quasi deformes & onerosas, deponerent: Ad quem effectum, tali vtitur obiectione. 22.

Obiectio 1. fol: 74. & 75.

Apud Clerum secularem Provinciæ Polonæ, idem vitium est in dispensationibus, circa pluralita- 23.

p.9. tem Beneficiorum Curatorum, quæ Papa eadem Potestate dispensat, quâ & ipsis Privilegia donavit. Ergo si Exemptiones eorundem in Decimis sunt amputatæ, pari ratione, etiam nostræ dispensationes in Beneficijs, supportari non debent, Vbi Theologus Eruditus facit magnos scrupulos.

Respondeo.

24. Differentisssima est nostra Dispensatio circa pluralitatem, ab Exemptione Soc: à solvendis decimis. Quia Exemptio Soc: non potest se aliter tueri contra SS. Canones, nisi se involuat sub Pallio Absolutæ Potestatis, quâ Summi Pontifices non libenter vtuntur; Nobiscum autem dispensant, per ordinariam Potestatem, conformando se Canoni, seu statuto Synodi nostræ Provincialis, quod ita loquitur, sub Titulo:

De Clericis non Residentibus.

25. *Item statuimus, ut Plebani, qui in Beneficijs majoribus Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum, ex dispensatione Apostolica residere, vel in Servitijs Regum, Principum & Episcoporum versari consueverunt, Ecclesias Parochiales sæpe visitent, in eisq; singulis annis, ad minus per duas septimanas, per se resideant, sub pœna Synodali per Ordinarios ab eis exigenda. Plebanis extra Provinciam absentibus, ex justa causa exceptis, qui per Commendarios æque*

idoneos

idoneos easdem regere, & prouidere debebunt. Con- p. 11.
ſtit: Synodal: Provin: lib: 3. ſub Ioanne Laski Archi-
epiſcopo & Primate Regni. Anno 1523. quando Je-
ſuitæ nondum nati erant.

Dicent nullius eſſe momenti Concilium Provinci- 26.
ale, reſpectu Papæ. Et ego ita dico, & voco cifram per ſe nihil valentem, antequam revideatur, & confirmetur à Papa. Poſtquam eſt reviſum, & confirmatū jam iſta cifra eſt conjuncta cum Vnitate, id eſt authoritate Papæ. Et ſic Theologus Eruditus diſcat ab Arithmeticis Valentiorem eſſe vnitatem cum cifra, quam aliam ſimilem ſine Cifra Si ergo Exemptiones Soc: P. P. cum diſpenſationibus noſtris volunt pari paſſu ambulare, producant in favorem ſuum aliquod ſtatutum Provinciale, quod cum non habeant, opus eſt ut claudicent in ſua ſimilitudine.

Allegatio autem Theologica ex Iure Communi, 27.
cum ſcrupulis, contra pluralitatem moderatam, nihil operatur. *Vbi enim adeſt particularis ſtatuti Diſpoſitio, ea inprimis ſervanda eſt. Nam ad Iuris Communis diſpoſitionem, tunc demum recurrendum eſt, quando ſtatutum deficit.* Rota expreſsè apud Seraph: decis: 404. per totum; Et ita Rota paſsim pro ſtatutis Provincialibus contra jus Commune. *Eſſent enim ſtatuta omnino ſuperflua ſi idem diſponerent, quod jus Commune.* Rota decis: Lucana diviſionis. Die Lunæ. 15. decemb: 1636. coram Pancirolo.

Altera Ratio differentiæ eſt, quia nemo de me 28.

 con-

conqueri poteſt, quòd aliena Beneficia poſſideam, & quod in eis ſit Alteri jus quæſitum: quia collata mihi voluntate Patronorum, & Benefactorum meorum, & præmiſſis literis Cridæ, à ſuperioribus meis, canonicè in illis ſum inſtitutus, nemine contradicente. Veſtra autem Privilegia obtinuiſtis ſine literis Cridæ; præſumendum eſt eo modo, quo Gregorius XIII. de alijs teſtatur, quod notavi primo meo libello N. 47. Quibus nunc totus noſtræ Provinciæ Clerus reclamavit, & gravamen Apoſtolicæ ſedi expoſuit, ab eaq́; Decretum in favorem obtinuit. Et ſic magna eſt differentia inter noſtras diſpenſationes & Veſtras Exemptiones.

29. Adhuc obijcere poſſunt, multos eſſe Clericos in Polonia ſine Beneficio, quod rariùs accideret, ſi alter duo vel tria Beneficia non obtineret. Dico, & nobis ab initio idē accidiſſe, multis annis fuimꝰ expectantes, Virtute, Studio, Doctrina, obſequio, Familiaritate, Peregrinatione, Legatione, in Aula, in Caſtris, apud Principes Viros, tam Eccleſiaſticos quam Seculares, in negotijs Eccleſiæ, Reipub: & Privatorum, diu nobis exiſtimationem, favorem, & benevolentiam, conciliando, & ita labore, ſudore, & merito, Beneficia conſecutos ab ijs, qui conferre, ſine præjudicio alterius, potuerunt. Hæc ita facta expendat apud ſe Theologus à Conſilio Vivorum Eruditus, an rectè reprehendat, qui ſuos tyrones ſcholares ob juvenilem ætatem, plerumq́; inſolentes, Emeritis Viris pares eſſe in Beneficijs contendit. Quan-

Quantum ad me, cui hæc vel maximè objeciſtis, p.13.
ſcitote me eſſe filium obedientiæ, vnica Parochialis 30.
eſt, quæ mihi poſſet facere ſcrupulum, ſi non habe-
rem Diſpenſationem; in hac duo Vicarij, & tertius
Commendarius ſumptibus meis, pro me Vno in Vi-
nea Domini laborant, cum ſcitu ſuperiorum meorũ,
& ſatisfactione Parochianorum. Altera Parochialis
S. Iacobi Caſimiriæ non obligat ad Reſidentiam Præ-
poſitum, quia habet quatuor Manſionarios fundatos,
ante Centum octuaginta octo annos. Videlicet. 1462.
penes quos eſt, ex vi fundationis, Adminiſtratio
Sacramentorum. In hac Cauſa Veſtra, ſumptus pro 31.
Typographo, jam Millenarium excedens, majori in-
diget proventu: Vbi reſciero Decimas totaliter ad
Parochos redijſſe, & meam Vnam Parochialem ſu-
pradictam, in gratiam Veſtri dimittam etiam quoli-
bet momento id facturus, quando ita viſum fuerit S.
ſedi Apoſtolicæ: à qua dum nobiſcum diſpenſari pe-
timus, non poſtulamus Contraria Iuri, ſtante pro
nobis ſupradicto Canone Provinciali, prout ita apud
nos ab immemorabili tempore, vltra Centum & tri-
ginta annos practicatur, quod conſtitutionibus no-
ſtris probare poſſumus, ab Anno 1523.

Non ſolũ autem Ius Provinciale, ſed Ius Commu- 32.
ne, & quidem Generalis Concilij, favet nobis in diſ-
penſatione Pluralitatis: Vt Capitulum: De Multa.
Vbi in fine ita dicitur: *(Circa ſublimes tamen & lite-
ratas perſonas, quæ majoribus Beneficijs ſunt hono-*

p.14. *randa, cum ratio postulauerit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* De Præben: & Dignitat: Quod Rebuffus declarat, & inter primas Causas ponit Prærogativam Personæ, & qualitatem, ut scientiam & Nobilitatē, quæ inducunt ad dispensandum. Et Scientia nunquam melius probatur, quàm per gradum Doctoratus. Rebuff: de Dispensat: ad plura Beneficia N. 43. & 44. Quem Titulum, Theologus cum Consilio Vivorum Eruditus, non mihi potest auferre. Et sic Dispensatio nostra, propter assistentiam Iuris Provincialis, & communis, prævalet Exemptioni Soc. à solutione Decimarum, cui omnia Jura repugnant.

Objectio 2. fol 34. & 35.

33. EPiscopi nostri, plurimas Decimas antiquitùs à Mensa sua dederunt Regularibus, cum Consensu suorum Capitulorum. Si ergo Episcopi potuerunt dare suas Decimas alijs Regularibus, quare non Pontifex easdem condonare, Patribus Soc: ? An in Polonia major est Potestas Episcopi, quàm Papæ?

Resdondeo.

34. NOn nego Episcopos nostros antiquitus donasse, & modo donare posse Decimas Regularibus: Sed advertat Theologus cum Consilio Vivorum Eruditus, quòd non dant alienas sed ad Mensam suam pertinentes. Et sic duplex est differentia. 1. Quia dant de

de sua Mensa; 2. Quia id faciunt non absolutâ, sed *p.15.*
Ordinarjâ suâ Potestate, videlicet cum Consilio & Consensu suorum Capitulorum, Vbi examinantur strictissimè Causæ, & merita cujuscunq; Donationis, aut Privilegij. Neq; id valeret in Præjudicium suc- 35.
cessorum, nisi ex rationabili Causa summus Pontifex id ratificaret, pro perpetuis temporibus. Sequela per hoc non rectè infertur, apud nos esse majoris Potestatis Episcopos, quàm summum Pontificem, propter diversitatem Casus. Antequam hoc ad invidiam nostris Prælatis conciliandam, Theologus Eruditus obiecisset, duo erant illi probanda.

36. *Primo.* Privilegia Exemptionis à solutione Decimarum Societati concessa, fuisse, cum consilio & consensu illorum, quorum intererat; prout fiunt Donationes, & Privilegia nostrorum Episcoporum, cum Consilio, Examine, & Consensu suorum Capitulorũ.

37. *Secundo.* Probare debuerat, Summum Pontificem concessisse Societati Decimas, ad Mensam suam pertinentes.

38. An sint tales, ego jam non audeo disputare: quandoquidem Theologus à Consilio Vivorum eruditus, minas denunciat, & omnia provocat ad Inquisitionem, tanquam illud S. Officium suis mandatis famulari deberet, quotiescunq; vellet.

39. Malo ut jam pro me respondeat Svarez Theologus & Jurista Soc: Primarius, qui de Relig: lib. 1. de Div: cul: & Decim: c. 17. N. 10. cum dixisset, *Summum*

mum Pontificem non esse Dominum Decimarum, & ideo non posse illas arbitrio suo usurpare. Iam sequenti Capite ita dicit. *Ex ratione data constant aliæ partes Assertionis, scilicet hoc Privilegium, non concedi per modum Donationis, seu Cessionis ex rebus proprijs, vel pertinentibus ad proprium, & Speciale Jus Pontificis &c. Datur ergo per modum dispensationis in Lege Communi, ut probatum est.* Suarez de Relig: lib. 1. de Div: cul: & Decim. c. 18. N. 12.

40. Cum ita Suarez, de Decimis Summo Pontifici testimonium, tanquam omni Exceptione majorem, præbuerit; quod ille dixit negativè, nos de nostris Episcopis dicimus affirmativè; Videlicet Decimas ab illis concessas esse per modum Donationis, seu Cessionis ex rebus proprijs, vel pertinentibus ad proprium, & speciale Ius Episcoporum. Quod Miecislaus Princeps in illos contulit factus Christianus. Anno 965. Teste Cromero. De Reb: gest: Polon: lib: 3. de quo fusius infra. N. 122.

41. Et sic similitudo à Theologo Erudito concepta, valde claudicat, & quæstio ad invidiam Cleri secularis impertinenter excitata: *An in Polonia major sit Potestas Episcopi, quam Papæ?*

Obiectio 3. fol: 46.

42. QVi dicit subreptitiam, aut obreptitiam, vel inefficacem fuisse Bullam Gregorij XIII. ab Obligatione Decimarum Patres Soc: eximentem, &c: timendum

mendum est, ne id ipsum dicat de qualibet Bulla, & p.17.
quolibet Brevi, & ipso Decreto S. Congregationis.
Et iterum; si Brevia aut Bullæ Apostolicæ pro Cle- 43.
ro seculari sunt Bonæ & vtiles, quare non & illæ, quibus vtitur societas, pro Exemptione Decimarum suarum, multò prægnantioribus Clausulis firmatæ, & roboratæ?

Respondeo.

RESpondet ad hoc magistrali suâ doctrinâ Pelagius 44.
Papa, in hæc verba. *Dicenti Sacras jussiones se habere præ manibus: Respondimus scire illum oportere, quod ipse Clementissimus Princeps generalibus legibus constituerit, illa Sacra Uniuscujusq; desiderio concessa prævalere, & effectui mancipari, quæ cum Iuris, & Legum ratione concordant. Ea verò quæ subreptione, vel falsis precibus forsan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium.* 22. q 2. c. 13.
Respondet ad hoc & Gregorius Papa *Imperiali ve-* 45.
rò Constitutione apertè sancitum est, ut ea, quæ contra Leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. 25. q. 2. c. 13. In eundem sensum, Imperatores Theodosius, & Valentinianus, ita statuerunt. *Rescripta contra Ius elicita, ab omnibus Iudicibus præcipimus refutari, nisi fortè aliquid est, quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat.* Quæ Secularium Principum

 senten-

p.18 ſententiæ, tantopere placuerunt Eccleſiæ, ut etiam inter Canones insererentur. 25. q. 2. c. 15.

46. Comparationes ergo iſtæ, quas inducit Theologus à Conſilio Vivorum Eruditus, valde claudicant, & nihil habent nobiſcum commune.

47. Et hæc ſit Generalis differentia, quod validiora ſunt Reſcripta & Decreta Apoſtolica, quæ fiunt ſecundum Ius, quàm illa quæ impetrantur contra Ius. Semper enim faciliùs, & meliùs navigatur ſecundo flumine, quàm adverſo.

48. Atq; ita Decretum S. Congregationis, in validiſſimis & juſtiſſimis rationibus, & genuina informatione fundatum, ſubſiſtit, & nullo modo contrarijs ſcriptis impugnari poteſt. Quis enim ſanæ mentis imaginari ſibi poſſit, Opiniones Theologicas in cauſis decidendis, majoris fore momenti, quàm SS. Canones, apud quemcunq; Iudicem Eccleſiaſticum, qui Profeſſionem Fidei fecerit, & ſciat ſuam judicandi Regulam;

49. *Canonum Statuta cuſtodiantur ab omnibus, & nemo in Actionibus, vel Iudicijs, ſuo ſenſu, ſed illorum autoritate ducatur.* c. 1. de Conſtitutionibus.

Transactiones.

50. IN quantum colligere poſſum, Theologus à Conſilio Vivorum Eruditus, duo intendit, & à S. Congregatione, vel S. Rota ſe obtenturum ſperat. 1. Vt Transactiones Laicales, nullius valoris, ſed ipſis valde opportunæ, & utiles, confirmentur. 2. Vt Colonos

nos à Decreto S. Congregationis excipiant, & illorum Decimam sibi usurpent. p.19.

Quantum ad Transactiones, confidimus de benignitate S. Rotæ, ita illos prudentissimos Iudices, & toto orbe celeberrimos judicaturos, prout dictant SS. Canones. Vt c. Statuimus. c. De cætero. c. Veniens. De Transactionibus. Rota Decis: 1278. apud Seraph: & Decis: 30. apud Farinacium. & Decis: 585. N. 1. par. 1. Divers: alijsq; in locis passim. 51.

Duæ Transactiones Patrum Soc: cum Plebano Loci Golambie, factæ cum omnibus Iuris solennitatibus, in præsentia Nunciorum Apostolicorum, eorumq; authoritate, vel potius Apostolicâ roboratæ, una ante Decretum, & altera post Decretum S. Congregationis, ponantur in æquilibrio cum Transactionibus Laicalibus.. Iustitia ipsa hæc in manu sua ponderans, ad oculum demonstrabit, validiorē esse unam ex prædictis, quam omnes Laicales, bis, vel ter, ultra dimidium Clericos lædentes. 52.

Quod non potuerint fieri sine scitu & approbatione illorum P. Generalis Præpositi, contrarium docet Suarez. De Relig: lib: 1. & Decim: c. 20. N. 5. quod notatum est expresse primo meo libello. N. 69. Redoan: De reb: Eccles: non alien: quæst: 55. N. 36. ad finem. Quæ loca citata, benevolo & æquo Iudici, opus est, ut Agentes Causæ ob oculos ponant, & prudentissimo illius judicio committant. 53.

Et quoniam Patres Soc: P.P. allegârunt pro se 54.

p 20. Constitutionem Regni Comitialem, de Anno 1635. cujus mentionem facit Theologus Eruditus fol: suo 87. & dicit triplo majorem fuisse numerum Catholicorum, quàm dissidentium, qui illam condebant. Quare ergo Iesuitæ hanc legem pro se allegantes, non potius cum Catholicis, quàm cum hæreticis sint ponendi?
55. Dico tales leges Clero seculari præjudiciosas, in turbido, ut ajunt, piscari, quæ difficillimis Reipub: temporibus importunitati conceduntur, imminentibus plerumq; bellis, aut militum confœderationibus, majoris mali vitandi causâ, ne Regnum, ob discordiam dissolutis Comitijs periclitetur.

56. Sed cum hæc scribo, venit mihi in mentem Breve Apostolicum, Vrbani VIII. De Transactionibus tenoris sequentis.

BREVE Vrbani Papæ VIII.

57. Cum sicut Dilectus Filius, Nobilis Vir Georgius Ossolinski, Comes de Tęnczyn, Charissimi in Christo Filij nostri Vladislai, Polonię & Suecię Regis Illustris ad Nos, & Apostolicam Sedem, Orator, Nobis nuper exponi fecit, diversæ Controuersiæ, lites, & differentiæ, inter Ecclesiasticos, & Nobiles Regni Poloniæ, occasione

ſione ſolutionis Decimarum, ſæpe orian- p.21.
tur: Nos litibus, differentijs, & controver- 58.
ſijs hujusmodi, quantū cum Domino poſ-
ſumus, obviam ire, paciq; & quieti Eccle-
ſiaſticorū, & Nobilium prefatorū conſule-
re volentes, Supplicationib⁹ dicti Georgij
Comitis & Oratoris, nomine ejuſdem Vla-
dislai Regis, Nobis ſuper hoc humiliter
porrectis, inclinati; Venerabilibus Fratri- 59.
bus Archiepiſcopis & Epiſcopis, dicti Re-
gni Poloniæ, tenore preſentium commit-
timus, & mandamus, ut Compoſitiones
per Eccleſiarum Rectores & Laicos faci-
endas, ſuper quantitatem decimarum cō-
firment, vel illas approbent, de Conſenſu
Rectorum. Et ubi non adeſt illorum Cō- 60.
ſenſus, etiamſi agatur de novalibus, Ordi-
narius aſſumptis duobus de ſuo Capitulo,
unà cum illis, Cauſam, & Cauſas, ſuper Cō-
poſitione faciēda, cognoſcat, ac terminet,
appellatione remotâ, ubi Decimæ quoli-
bet anno nō excedunt florenos quinqua-

 ginta,

p 22. ginta, in valore earum: & quatenus exce-
derent dictum valorem, tunc ſemel ap-
pellare liceat, & Appellatio per Metropo-
litanũ, aſſumptis pariter de Capitulo ſuo
61. duobꝰ, cognoſcatur & terminetur. Qua-
tenus verò Metropolitanus eſſet Ordina-
rius, tunc Appellatio cognoſcatur, & ter-
minetur per Nuncium Apoſtolicũ in eo-
dem Regno commorantem; & quatenus
primę Inſtantię ab eodem Nuncio cogno-
ſcerentur, tunc à ſententijs dicti Nuncij
Appellationes, Nullitates, ac in integrum
Reſtitutiones, committantur per eundem
Nuncium, alteri Epiſcopo ejusdẽ Regni,
qui pariter aſſumptis duobus de ſuo Capi-
tulo, inſimul cognoſcant, & terminent:
62. Quodſi contentio erit inter aliquem Epi-
ſcopum, & Nobilem, ſeu Nobiles; tunc
cauſa cognoſcatur per Metropolitanum,
aſſumptis pariter duobus de ſuo Capitulo.
63. Si verò erit inter Metropolitanum, ac No-
bilem, ſeu Nobiles, tunc Cauſa ſpectet ad

Nuncium

Nuncium proCompoſitione,de Partium p. 23.
conſenſu faciēda, alias viâ Iuris terminan-
da,ut ſuprà. Decernentes pręſentes lite- 64.
ras validas, firmas, & efficaces exiſtere &
fore,ſuosq; plenarios, & integros effectus
ſortiri,& obtinere,ac ab omnibus & ſingu-
lis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpecta-
bit, inviolabiliter obſervari: Irritumq; & 65.
inane,quicquid ſecꝰ ſuper his, á quoquam,
quavis authoritate,ſcienter,vel ignorāter
contigerit,attentari. Non obſtantibꝰ qui-
bꝰvis Conſtitutionibꝰ,&Ordinationibꝰ A-
poſtolicis,ac quarumcunq; Eccleſiarū eti-
am Juramēto,Confirmatione Apoſtolica,
vel quavis firmitate aliâ,roboratisStatutis
&Cōſuetudinibꝰ,Privilegijs quoq;,Indul-
tis,& literis Apoſtolicis, in contrariū quo-
modolibet conceſſis,confirmatis, & inno-
vatis. Quibus omnibus,& ſingulis,eorum 66.
tenores, præſentibus pro ſufficienter ex-
preſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore
permanſuris, hac vice duntaxat, ſpeciali-

ter

p.24. ter & expressè derogamus, cœterisq; contrarijs quibuscunq;. Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 27. Novem: 1634. Pontificatus nostri Anno 12.

67. Et sic stante tali Decreto Pontificio, De Transactionibus per Episcopos, & duos de Capitulis eorũ terminandis, Curia Romana non potest ab hoc Brevi recedere, ob Decretum irritans in eodem appositum: Ita, ut necessariò debeat hoc negocium remitti in Poloniam, ut Patres Soc: urgeant Plebanum ad compositionem faciendam, prout Laici ursissent, in quo-
68. rum Ius illi successerunt. Alibi quàm in Polonia taxa harum Decimarum fieri non potest, ad quam faciendam, neq; Episcopi, neq; Capitula eorum, ut Romam veniant compelli possunt. Et quandoquidem Transactiones per Patres Soc: jam cum Plebano Loci Golambie factæ sunt, vna de Anno 1632. & altera similis, eodem ferè tenore, de Anno 1647. Authoritate Nunciorum Apostolicorum roboratæ, & confirmatæ, jam ab illis Patres Soc. recedere non possũt, ita disponente supradicto Brevi:

Coloni. fol: 51. & sequen:

69. DE Colonis quæ scripsi videantur primo meo Libello, sub N. 202. Vbi sufficienter demonstravi, diversissimam esse nostrorum Kmetonum rationem & conditionem, à Colonis in Privilegijs Patrum Soc:

Soc: ſpecificatis. De quibus videndus eſt Fillucius p.25.
Tract: 27. par. 2. De Decim: c.8. N. 184. Et Suarez. De Relig: lib: 1. De Decim: c.17. N. 13. & c. 19. N 13. Vbi expreſſe tale format argumentum.

Si Religioſi non poſſunt ſibi retinere Decimam fructuum, quos Coloni percipiunt, revera licèt proximè videantur Coloni illam ſolvere, non ipſi, ſed Religioſi ſolvunt, cum ſit de prædijs ipſorum, & Coloni nihil Iuris in illa habeant. At verò Pontifex per illa Verba, liberat eos ab onere Decimarum prædialium purè, & abſolutè, & ſine conditione. Ergo dicendum eſt, per illa verba, ſimpliciter eximi prædia Religioſorum à tali onere, eo ipſo quod illorum ſunt, à quocunq; nomine illorum colantur. Et hæc doctiſſimè Suarez, Primarius Soc: Theologus, & Iuriſta loco ſupracitato. 70.

Poſtquam ergo priori meo Libello evidentiſſimè oſtenſum eſt, ſub Titulo *Cmetones*. N 210. Diverſiſſimam eſſe conditionem noſtrorum Colonum, qui vocantur Cmetones, vtpote quia habent ſuos proprios ſeorſivos Agros, & Poſſeſſionēs, in qvibus Iure hæreditario ſuccedunt, & nunquam hoc de illis dici poteſt, quod agri illorum ſint de prædijs Dominorum, imo à Contrario, contra Iuſtitiam alicubi ex agris Colonorum, facta, aut aucta, prædia Dominorum. Iam videamus, quid ad hoc reſpondeat Theologus à Conſilio Vivorum Eruditus, fol: ſuo 55. Ad finem. 71.

p.26. Dicit me falli, quod aſſeram Cmetones noſtros,
72. eſſe diverſæ Conditionis ab eis Colonis, de quibus Theologi & Canoniſtæ in hac controverſia ſcribunt: Et talem dat rationem.

73. *Nam etiam Cmetones noſtri, etſi non ſint Mercenarij, qui ſerviant in cultura Agri pro aliqua parte fructuum, nec ſint Partiarij Coloni, nec Penſionarij, ſed plerumq; habeant ſeorſivas Poſſeſſiones, de quibus integros fructus ſibi percipiunt; non habent tamen Dominium directum, neq; Prædia ſunt eorum, ſed Religionis.*

74. Hic attentum eſſe rogo Iudicem, ſeu Lectorem meum. Agnoſcit differentiam Theologus Eruditus noſtrorum Cmetonum, quando fateri debet, illos habere ſeorſivos agros, & poſſeſſiones, de quibus integros fructus ſibi percipiunt, qui non ſunt de Prædijs Dominorum. Sed inquit non habent directum Dominium, neq; Prædiola, ſeu Agri, ſunt eorum, ſed Dominorum.

75. O Deum immortalem, quis jam Laicis vitio vertat, quòd ſuos Cmetones in ſumma ſervitute, & oppreſſione gubernent, ex ea ſola ratione, quòd ita Edocti in Scholis Theologorum Soc P.P, exiſtiment Poſſeſſiones Cmetonum non eſſe ipſorum, ſed Dominorum. Et hæc eſt doctrina Theologica; poſt clades noſtras, poſt iram & Vindictam Divinam, quâ Dominus univerſi ultus eſt oppreſſionem Pauperum noſtrorum, tam Cmetonum, quàm aliorum.

Iam

Iam gratulor Academiæ Cracovien: & filiæ ejus p.27.
Posnaniensi, quòd nunquam talem doctrinam docu- 76.
erjt, videlicet Possessiones Cmetonum non esse illorum, sed Dominorum.

Reclamat huic doctrinæ Theologicæ Ius nostrum 77.
Politicum, quod vocamus Statuta Regni, antequam nati essent Patres Soc: recte dicere possum, ab Academica Institutione constitutum. Et hoc Ius est, ex quo Rex probat suum Regimen, & Majestatem: Senatus Ecclesiasticus, & secularis, authoritatem: Clerus dignitatem, & immunitatem: Nobilitas moderatam libertatem: Civitates Privilegia, & Vrbanitatem: Cmetones valde temperatam Servitutem. Pro quibus hic adduco duo Statuta, sub Rege Casimiro Magno edita, ex quibus apparet, Possessiones Cmetonum esse proprias illorum, non Dominorum. Primum est sub tali titulo.

Kmetonum steriliter decedentium Bona.

ABusiva consuetudine noscitur esse observatum: 78.
quod cum aliqui Cmetones, seu Rustici, vel alij Civiles Homines, absq; prole, de hac luce decedunt; ipsorum omnia Bona, mobilia, & immobilia, nomine vulgari, Pusciżna (quod est Successio) dicta; Domini eorundem consueuerunt occupare. Unde nos eandem consuetudinem, ut vero contrariam, & absurdā reputantes, statuimus: Quod de Bonis eorundem

 deceden-

p.28. *decedentium, (si tantum reperiatur in eisdem Bonis) calix pro Marca cum media, Ecclesiæ Parochiali dandus, comparetur: reliqua verò Bona, ad proximos consanguineos & affines, cessante quolibet impedimento, devolvantur: prout æquitas & Iustitia suadent.* Kazimirus Magnus. fol. 21. Item.

Kmeto pro Debito Domini sui non pignoretur.

79. *EX Iure Divino debet observari, quod iniquitas unius, alteri non debet obesse. Hoc Statuto igitur ordinamus: Quod pro pœna, obligatione, aut fidejussoria cautione, Militis, aut Superioris, alteriusq; cujuscunq; kmeto, vel subditus, non debet impignorari: vel quovis modo adstringi. Sed si miles, aut quivis alius aliquo, & quocunq; debito, aut obligatione, vel fidejußione, sit adstrictus, & obligatus: ille de suis proprijs Bonis, & rebus (prout æquum est) solvat, & satisfaciat.* Kazimirus Magnus. fol. 39.

80. Erubescat jam Theologus tantoperè à consilio vivorum, certe non mortuorum Eruditus, suam Theologicam doctrinam, & ignarus Statutorum Regni nostri, discat: Alia esse Bona Dominorum; Alia Kmetonum; Ex quibus Dominus neq; in Vivis, neq; per Mortem Kmetonis, etiam steriliter decedētis, quicquam sibi potest usurpare, juxta Leges supracitatas. Sed Theologus Eruditus de Dominio directo, vel indirecto, Ordinario vel absoluto, disputabit, & finaliter

ter Bona pauperum ſubditorum Dominis adſcribere p.29.
contendet, per abſolutam illorum Poteſtatem.

Hic jam teneo calamum, & non exaggero: ex iſto 81.
fonte Doctrinæ Theologicæ, quæ fiunt inconvenientia apud nos in Polonia. Vbi ſecundum Leges, Divinâ favente gratiâ, & benedictione, cum poſſet eſſe terreſtris Paradiſus, jam hoc ſeculo, dicitur eſſe Infernus Ruſticorum, ex abſoluta Dominorum in ſubditos Poteſtate, quam ſibi contra omne Ius & Fas, & contra ipſa Statuta Regni, uſurpant, certe non commodo, ſed maximo detrimento Reipub: ſi præſentia
cum antiquioribus comparemus. Conſtanter hæc 82.
ſcribo, & ita eſſe affirmo, non ut Ruſticus aliquis, ſed ut Civilis homo, intermedius inter Nobilitatem, & Ruſticitatem, DEi voluntate ita collocatus. Alium Dominum, niſi Sereniſſimum, & Clementiſſimum Regem meum, prout Civis Poſnanienſis, non recognoſcens.

Qui vult ſcire, quales apud nos fuerint antiquitus 83.
Kmetones, legat Statutum Regni ſub Titulo. *Areſtatio.* Videbit quondam fuiſſe ſumptuoſos, precioſis veſtibus uſos, & in ſuperbiam elatos. O qualis rerum viciſſitudo, ex illo Antiquitatis Paradiſo, jam nunc ad infernum detruſi, per uſurpatam Dominorum Poteſtatem.

Et ne aliquis mihi objiciat, Bona immobilia Kme- 84.
tonum, intelligi Domicilia, aut aliquid aliud, non verò Agros, aut Terras. Reſpondeo: Statuta no-

p.30. ſtra per Bona Immobilia, propriè ſemper intelligunt
Terras, Agros, Territoria, Tenutas, &c: quæ ſunt
propriè Bona Immobilia, ut videre eſt ibidem ſub
85. Titulo. *Bona*. Vbi neſcio quo fato poſitum eſt
Punctum de Interpretatione, his verbis: *Privilegia
publica, & privata, non debent interpretatione ali-
qua, in alium quàm ſonant ſenſum, verti: ſed ita, ut
cum ſuis tenoribus ſcripta ſunt, & non aliter intelligi
debent.* Quæ autem Bona Immobilia magis eſſe
poſſunt, quàm Terræ, & Agri? Domicilia enim a-
pud nos, ubiq; lignea, & ſtraminea Cmetonum, non
ſolum manu humana, ſed ex aliquo accidenti, vi a-
quarum, ventorum, aut flammæ, moveri de Loco, &
tolli poſſunt.

86. Hæc omnia, & præcipuè de Transactionibus, &
Colonis, Curia Romana, & S. Rota diligenter exa-
minet, ne ab Erudito Theologo decipiatur, & ſic no-
væ lites exoriantur. Cauſam iſtam pendentem
Decimarum, jam præmiſſa ſufficienti ab utraque
parte Informatione, tandem aliquando, per a-
morem Veritatis, judicio ſuo terminet, prout Iuſtitia,
Æquitas, Ratio, & Spiritus Sanctus, Ordinariæ Po-
teſtati aſſiſtens, dictaverit. Optime autem factum
eſſe cenſerem, ſi Tranſactiones ad noſtros Epiſcopos,
juxta Breve Vrbani VIII. remitterentur.

87. Mihi inde nec ſeritur, nec metitur, laboro enim
propter ſolam Iuſtitiæ Veritatem, nulla mercede
aut ſtipendio conductus. Maledictiones & Contu-

melias Patrum Soc:P.P.tam ſcriptis,quàm dictis ſupporto,vindicando contemptum, & injuriam Cleri ſecularis. Et pro Typographo jam Millenarium florenum de meo expendo, certe non ut Cauſidicus, quod mihi Theologus cum Conſilio Vivorum Eruditus ad Contumeliàm objicit,ſed ut Zelator Canonum, & Iurium Eccleſiaſticorum Voluntarius Defenſor. p.31.

Quæritur Vltimo.

An Controverſia noſtra aliquos non læſerit?

VIdimus Theologum cum conſilio vivorum Eruditum, toto ſuo ſcripto indignabundum, oblitum illius, Falſam Iuſtitiam indignari, Veram modeſtiâ uti. Iam quinta ſua quæſtione, acerbioribus verbis, contra me inſurgit, & graviter perſtringere voluit aculeis Scholaſticis. Non miror quod videatur ſibi læſus, cum nobis Polonis commune dicterium ſit: *Quando aliena reſtituimus, dolorem Capitis ſentimus.* Et plerumq; Actiones inter Meum, & Tuum, ſine offenſa alterius partis, fieri non poſſunt. 88.

Mei Libelli veniam merentur, qui rationes ſuas, à duobus Juſtitiæ fundamentis explicuerunt. Primum eſt: Neminem locupletari debere,cum jactura alterius De Reg. Iur: Alterum eſt. Reſcripta contra Ius elicita, ab omnibus Iudicibus eſſe refutanda, 25. q. 2. c. 15. 89.

Ita

Ita ergo ſcripſimus,& laboravimus,ne Patres Soc:
90. P.P. cum jactura Cleri ſecularis locupletarentur. Et Privilegia eorundem ita eventilavimus, ut tanquam SS. Canonibus contraria, refutarentur. Et ſic ſtante pro nobis Decreto S. Congregationis, opus eſt ut Theologus cum Conſilio Virorum Eruditus, habeat patientiam.

91. Cum ita ſuam læſionem ſcholaſtica opinione non poſſint vindicare, jam valde laborant, ut illis Curia Romana credat, Summum Pontificem Gregorium XIII. non cum debito honore à me tractatum. Et S. Rotam valde mihi iraſci volunt, quòd Titulum competentem, Illmi.&Rnmi. primarijs illis toto orbe Iudicibus non dederim. fol. 77.

Reſpondeo.

92. OBedientiſſimus ſum S. Sedis Apoſtolicæ filius,& nulli Theologorum in ſubjectione, & Venaratione ejusdem poſtremus. Scio meam obligationem, quantum debeam honoris,& reverentiæ Summæ Sedi. Si quid aſperius à me ſcriptum exaggeratis, Canones ſunt, non mei capitis inventa. Quid culpæ in me eſt, quòd dicam, Summum Pontificem Romanum, Ordinariâ ſuâ poteſtate, prout ſubeſt Directioni,& Regimini Spiritus S. Omnia poſſe, ſine ulla exceptione, ſervatis ſervandis, prout me explicavi, tertio meo Libello. N.69. usq; ad finem.

93. E contra; quòd minus tribuam Autoritatis Pote-

ſtati

ſtati Abſolutæ, Theologi Primarij Soc: Fillucius, & Suarez ſunt in Cauſa. Primus quia penes illam non poſuit aſſiſtentiam Spiritus S. Tract: 27. par. 2. De Præc: jejun: & Decim: c. 7. quæſt: 9. N. 155. Secundus verò, quia Poteſtate abſoluta, inducit Summum Pontificem ad malè faciendum. Et talis eſt Concluſio illius in Theologico ſcripto poſita fol: ejusdem 6 ad finem, prout ſequitur. p. 35.

Dico primo, Pontificem abſoluta Poteſtate vtendo, poſſe omnino Obligationem Decimarum tollere: ita ut ſi id faceret, factum teneret, & ſi malè faceret; ſalvo tamen ſemper naturali Iure alendi Miniſtros Eccleſiaſticos, &c. Si ergo per impoßibile daretur caſus, in quo Pontifex totum hoc præceptum abrogaret; Laici non tenerentur ad quotam Decimæ ſolvendam. &c. 94.

Vnde placuit hæc Concluſio Theologo, cum Conſilio Vivorun Erudito, ita ut me in medio ipſius, intra Parentheſim, attentum eſſe ad illam voluerit. Sed non audio, abſurdam eſſe dico, cum video eſſe Ens Rationis Theologicum, per Impoſſibilem Caſum inductum; Et ab eodem Summo Viro Suarez ſequenti Concluſione revocatum, ubi dicit; *fieri non poſſe, ut Providentia Spiritus Sancti permittat ejusmodi Abrogationem, quæ totum Decimarum Præceptum auferat.* fol: 7. 95.

Malo credere Canoni Gangrenſi, qui dicit; *Valde iniquum, & ingens Sacrilegium eſſe, Decimas in* 96.

p34. *aliud transferri, vel converti, quàm à Benefactoribus, vèl pro Remedio Peccatorum, vel salute, vel requie animarum, Venerabili Ecclesiæ collata, aut relicta sunt.* Vbiq; dicitur, tale malum auferendum esse ab Ecclesia. 16. q. 1. c. 57.

97. Audiant Theologi Eruditi Symmachum Papam suæ Conclusioni aliter se opponentem, his verbis: *Non nos B. Petrum, sicut dicitis, à Domino cum Sedis Privilegijs, vel Successores ejus, peccandi judicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem, cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum est, pro Actuum luce, ad illos pertinet, quos par Conversationis splendor illuminet. Quis enim Sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? &c:* Distinct: 40. c. 1. Eodem sensu Leo Papa de Potestate Clavium. *Manet ergo Petri Privilegium, vbicunq; ex ipsius fertur æquitate judicium: nec nimia est vel Severitas, vel Remissio. &c:* 24. q. 1. c. 5.

98. Meum sensum subjicio S. Matri Ecclesiæ; Non Scholæ Theologicæ, quam scio, juxta Professionem Fidei meæ, SS. Canonibus non dominari, sed famulari debere. Ergo à Matre mea S. Romana Ecclesia doceri volo, id probaturus quod illa probaverit, & reprobaturus quod illa reprobaverit. Nunc mihi sufficit quòd videar à sensu SS. Canonum non exorbitasse.

99. De Optimo Pontifice Gregorio XIII. quæ scripsi,

judi-

judicanda sunt de meo simplici libello, non ex My- p.35.
stico Theologico, à Consilio Vivorum in meam perniciem Erudito, qui ea, quæ in Forma Canoni m posui, jam ille fol: suo 12. & 71. Oratorio modo recenset, quasi mei Capitis inventa, & sic ad Jnquisitionem provocat.

Officium S. Inquisitionis.

ASsistant mihi rogo non solum Iurisperiti nostri, 100.
sed omnes Beneficiati. Novum genus Causæ est: Ad Officium S. Inquisitionis, cum Sacris Canonibus, non inviti, à Theologis Soc: Provinciæ Polonæ Eruditis, ducimur. In cujus præsentia, post exhibitum 101.
prudentissimis Prælatis honorem, & præstitam debitam Reverentiam, prout decet S. Tribunali, humiliter subjicio Censuræ ejusdem meos libellos, jam antea Senis, coram eodem Officio, priorem meum Libellum examinatum, & approbatum, prout testatur in fronte illius, subscriptio Doctissimi Theologi Franciscanæ Religionis. Qui fuit tunc temporis.

Fr: Franciscus Brunettus Vicarius Generalis S. Officij Senarum mpp.

Duos posteriores Libellos evulgari feci Craco- 102.
viæ, cum Censura, Authoritate, & approbatione meorum superiorum, tanquam obedientiæ filiꝰ. Decreto S. Concilij Tridentini Sess. quarta, vel maximè obtemperans, quod apparet in fronte meorum Libellorum.

103. quæ ſcripſi, inprimis videnda ſunt, in primo meo Libello, ſub N. 43. usq; ad 53. Item eodem Libello videnda ſunt quæ ſcripſi, ſub N. 232. usq; ad 235. Item videnda ſunt potiſſimum ea, quæ ſcripſi tertio meo Libello, ſub N. 62. usq; ad 71. ubi hæc verba, quæ ſequuntur.

104. *Excuſandus eſt Optimus Pontifex Gregorius XIII. hic enim precibus moleſtatus, importunitati conceſſit, quæ aliàs animo deliberato, & motu proprio non conceſsiſſet. Et ideo ſi conceſsit aliquid, quod lædat alium, præſumitur circumventus per importunitatem postulantis.* Riccius Decis: 339. par: 4. per totam.

105. Et tanto magis excuſandus eſt Optimus Pontifex, quia ipſe ſe generaliter toti Orbi terrarum excuſat, ita ſuam quandam Bullam incipiens. *In tanta rerum ac negotiorum mole, quâ Romanus Pontifex ex omnibus Mundi partibus aſsiduè premitur, vix evitari poteſt, ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis, neceſſe eſt Moderationis remedium adhibere.* Et hæc Bulla tractat de moderandis Exemptionibus, etiam quoad Decimas, ut videre eſt in noſtris Conſtitutionibus Synodalibus. lib: 5. fol: 405.

106. De Poteſtate autem diſpenſandi, quæ dixerim juxta S. Bernardum, libro 3. De Conſiderat: ad Eugenium Papam. Et ex Concilio Trident: Seſſ: 25. De Reformat: C. 18. Videnda ſunt ea, quæ expreſſe

presse posui tertio meo eodem Libello: N. 69 usq; ad 71. p. 37.

Antequam in supracitatis locis, libelli mei legantur, & Principale negotium discutiatur, duo velim respondeant mihi Theologi Soc: Provinciæ Polonæ. 107.

Primo. Quare sub nomine unius Cichovij, (quem Tacitum sæpius voco) clandestinè, sine licentia Rmi. Megistri S Palatij, Romæ, quod in Polonia non omnes credunt, libellum suum, multa contra Bonos Mores, & ultra Statum Causæ, & Materiam, non sine læsione totius Cleri Secularis, continentem, impresserunt? Et sic Ordinatio: S. Concilij Tridentini Sess: 4. contravenerunt, & pœnas ibidem contra tales decretas promeruerunt?

Secundo respondeant mihi, An aliquando Theologi Soc: P P. ita Eruditi, Professionem fidei fecerint? Si non fecerunt: O quales Theologi sine Professione fidei. Si fecerunt: Examinent velim apud se illud punctum. *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco. Romanoq; Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac IESV Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia, à SS. Canonibus & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitãter recipio, atq; profiteor, simulq; contraria omnia atq; hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & re-* 108.

p.38. *jectas; & anathematisatas, ego pariter damno, rejicio & anathematiso.*

109. Hoc posito pro Fundamento, audacter dico coram S. Inquisitione, me omnia dixisse, & scripsisse, ad mentem Sacrorum Canonum. Quis ergo nostrum magis peccavit? An ego, qui juxta Professionem Fidei meæ, Sacros Canones defendo? An Theologus cum Consilio Vivorum Eruditus, qui contra Sacros Canones, Opiniones suas scholasticas opponit, et prævalere contendit, et vult esse magis de Fide, quàm Sacros Canones.

110. Sed in hoc puncto, cum Theologis Soc: P.P. fraternè loqui volo. Quid profuit Officij S. Inquisitionis, & scriptis, & dictis, implacabilem quandam severitatem per Poloniam traducere? Nunquid hoc S. Officium non paternè primo res examinat, & aliter in simplices Errores, aliter in pertinaces inquirit? Nunquid omnes Innocentes, qui à Malitiosis accusantur, condemnat? Numquid hoc Fidei Examen, à malevolentia alicujus suggestum, omnes infamat? Quod Theologus cum Consilio Vivorum eruditus per Poloniam exaggerat. Existimo & ibi aliquam esse pœnam Talionis, quam malevoli Delatores, seu Instigatores, in probatione deficientes, subire deberent.

111. Mihi videtur, quod Theologus cum Consilio Vivorum Eruditus, didicerit terriculamenta facere, à Vetulis Hollandicis, quæ pueros aliqua Actione sibi molestos,

molestos,eo modo deterrent, cum dicunt. Silentium (sta cito) quia tradam te Hispano, qui te vivum devorabit,& fingunt jam jam præ foribus mirabilem Hispanum, cui puer tradendus esset, nisi ab Actione desisteret. Hispanus autem de talibus figmentis ne quidem cogitat, & mavult pinguem Caponem bene assatum, quàm vivos pueros Hollandicos manducare. p.39.

Et sic Theologus cum Consilio Vivorum Erudit⁹, 112.
vult me esse talem puerum, jam quinquagenario proximum, & quatuor annorum praxi fere Romanum. Ita in Polonia vivo,& scribo, ac si Romæ essem: Et scio Potestatem esse Officij S. Inquisitionis, penes meos superiores, & vel maximè penes Nuncium Apostolicum, singularem meum Patronum, & libellos meos optimè noscentem; quos vidit censuratos, & approbatos à superioribus meis. Si qui errores sunt,deferte,& probate: quod jam Vos non semel etiam Romæ fecisse, optimo notum est mihi testimonio: Sed aliter ista, ad detrahendum Bonæ famæ, coram plebecula sparguntur,aliter coram Officio probantur.

Ita Officio S. Inquisitionis circa meos libellos oc- 113.
cupato, & informato, zelum meum pro Sacris Canonibus,prudentissimi Viri potius laudabunt,quàm condemnabunt. Quo casu Tleologi tantopere Eruditi, ficto Pietatis,& Devotionis, ergo SS. Canones supercilio,seipsos circumspiciant necesse est. Aliqui

dicent

p.40. dicent, se Professionem Fidei nunquam fecisse, nisi in Baptismo: Alij fecisse quidem, sed quid in ea contineretur, nunquam sibi in mentem revocasse, plus confisi de suis scholasticis opinionibus, quàm de Sacris Canonibus.

Autoritas S. Rotæ Romanæ. fol: 47. 49. & 77. &c:

114. FRustra laborat Theologus cum Consilio Virorum Eruditus, etiam apud S. Rotam invidiam mihi conciliare. Testis est optimi mei affectus, erga hoc S. Tribunal, secundus meus libellus, N. 24. ubi hæc Verba. *S. Rotæ Romanæ summam authoritatem veneror, & jure merito, cum in illo Sacro, & Primo Tribunali, & Urbis, & Orbis, omni tempore resederint, omnium gentium Christiani Orbis, selectiores Iurisconsulti.* Vt testatur Vrbis Senator. Decis: Romana Societatis Officij 1638. ad finem.

115! Quomodo enim in Iure Principes Viros non honorem, quorum prudentissimis Decisionibus, qualemcunq; profectum, & stilum meum in Iure debeo, quibus legendis, & intelligendis, ultra alia mea studia quadriennium Romæ privatus insumpsi. Zelum meum in tuendis Sacris Canonibus, & Iuribus Cleri secularis, contra potentiam vestram, & fastum scholasticum, prudentissimi Iudices, & Patroni mei potius laudabunt, quam ad importunam instantiam

am veſtram, credo, & ſcio, jam non ſemel factam, innocentem condemnabunt. Reliqua videantur in primo meo libello. N 224. Vbi non judicio S Rotæ, quæ non audita altera parte, Decretum tulit, ſed veſtræ Informationi, & importunitati adſcriptum eſt, quod protunc S. Rota non potuerit aliam proferre ſententiam. A qua Appellatio interpoſita, cum dixerit eam fuiſſe nullam, & invalidam, meliori ſubſecuta informatione, non eſt tantum peccatum, ut Theologus cum conſilio Vivorum Eruditus exaggerat, & præjudicium tam notabile totius Cleri ſecularis, excuſabit aliquid apud S. Tribunal. p.41.

Sed inquit Theologus Eruditus fol: ſuo 46. Majorem fuiſſe importunitatem noſtram, pro obtinendo Decreto S. Congregationis, tanquam non unius Hominis, ſed Totius Cleri: non unius horæ, ſed totius Anni. &c: Reſpondeo, Clerum noſtrum nihil poſtulaſſe contra Iura, & SS. Canones; imo pro Iuribus Eccleſiaſticis, non importunè, ſed opportunè inſtantiam feciſſe, & Decretum per ſerias controverſias, Iuri, & æquitati conforme, obtinuiſſe. 117.

Quod Titulos Illmi & Rnmi Auditoribus S. Rotæ non dederim, vidi in praxi Curiæ Romanæ, in allegationibus Iurium, Titulis chartas non occupari, neq; per hoc, ullius Tribunalis authoritatem, & prærogativam diminui. Certe Theologus cum Conſilio vivorum Eruditus, debuit contra me aliquid ſolidius allegare, quia S. Rota talibus nugis ſcholaſticis non præbet aures. 118.

 Falſum

p.42. Falſum ubiq;, ſed præcipuè fol:49.

119. Nihil magis Theologus cum Conſilio Vivorum Eruditus, toto ſuo ſcripto, plenis buccis proclamat, quàm falſitatem noſtrorum Iurium, & Allegationum. Sed maximè id agit, fol: ſuo 49. Vbi hæc Verba. *Cum ergo nos advertamus, ſemper ab Adverſario Ius quoddam ſpeciale, & Synodales Conſtitutiones, tanquam noſtris Privilegijs repugnantes, falſo objici; dubitamus, an S. Congregationis ſententia non ex mala informatione proceſſerit, ideoq; non ſubſiſtat.* fol: ſuo 49.

120. Et ſequentes ibidem ſuas falſitates plures enumerat, omnes ex eo fundamento, quod non habeamus Ius ſpeciale Decimandi, & quod Statuta noſtra non ſint contraria illorum Exemptionibus; ac proinde ante Decretum S. Congregationis non fuerunt prohibitæ: Et Rota non erat adſtricta judicare ſecundum noſtra Statuta. &c: Quæ qui Romæ legerit, juſta indignatione movebitur; Sacro & Summo in terris Tribunali præſcribi Leges, & normam judicandi. ibid. &c:

Reſpondeo.

Multum delectatur Theologus, cum Conſilio Vivorum Eruditus hoc ſuo vocabulo Falſi: Vt tot
121. vicibus illud repetat ſcholaſticè per Exclamationes, et Curiam Romanam provocet ad indignationem, Ego

Ego autem dubito, an Roma toties velit indignari, p.43.
quoties scholaris Theologus imperiosè postulat hoc fieri, existimans de se dictum esse:

Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.

Magis tamen debuit se reflectere, ad illud aliud Poeticum:

Si quoties cupiunt Homines, sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Ius speciale decimandi in Polonia.

HOc Theologicum falsum, Ego Canonicus dico 122.
esse verum, & illud inprimis probo ex Historia Cromeri, insignis Scriptoris, tunc temporis Canonici Cracoviensis, postmodum Episcopi Varmien: Qui de Iure nostro speciali Decimarum ita loquitur.
Mieczislaus Princeps, ex Gentili ad Fidem con- 123.
versus, Baptismo, ut convenerat, ritu Christianorum initiatur, & subsequentibus diebus, Nuptias magna celebritate peragit, Anno 965. Mox totum sese, ad propagandam per omnem Principatum suum Religionem, hortante, & adjuvante Uxore, convertit. Basilicas novem diversis locis ædificat, easq; supellectili omnis generis speciosâ ornat, Censibus & possessionibus locupletat: &c: Duas quidem ex his Archie- 124.
piscopales, nempe Gnesnensem, & Cracoviēsem: reliquas verò, Posnaniensem, Smogoroviensem, quæ nunc Vratislaviensis est, Crusviciensem, quæ nunc Vladislaviensis, Plocensem, Culmensem, Lubußensem,

 & Camenensē, singulis Episcopis attribuit; ijsq; Decimas, omnis generis frugum, de suis juxta ac Nobilitatis, plebisq; Agris, Edicto perpetuo adscribit: ita quidem, ut eæ Decimæ post Mensem, ab ipsis Aratoribus, ad constitutum locum convehantur.

125\. *Inde autem inferioris Ordinis Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiasticis, Prælatis videlicet, ut vocantur, Canonicis, & Parochis, in sua cujusq; Diœcesi, certæ portiones, Episcoporum arbitrio, jure sempiterno decisæ, & attributæ sunt; ut essent ij Socij, Consiliarij, & Administri ipsorum, in propaganda, ac tuenda Religione, cultuq; Divino.* Hæc ita Cromerus: De Rebus Polon: lib: 3. sub Anno 965.

126\. Idem dicit alter Historicus noster antiquior Miechovita, etiam Canonicus Cracoviensis, & in eo concordat; *Quod & Barones, universaq; Nobilitas Polonorum, æmulando Principem suum, & ejus Consortem, Prædijs, Villis, & Dotationibus, Ecclesias ferventiùs dotabat.* Chronicor: Regni Polon: lib: 2.

127\. Cum ergo juxta Decisiones Rotæ; *Omnes Exemptiones, vigore Privilegiorum Summorum Pontificum, concessæ in materia Decimarum, intelligi debeant, de Exemptione Solutionis earum Decimarum, quæ Parochis, vel alijs personis, aut Collegijs, ex Iuris Communis dispositione debentur. Non autem earum Decimarum, quæ Iure speciali; ex aliqua particulari concessione, aut Privilegio.*

Iam noſtræ Decimæ, manifeſto Iure Speciali no- p.45.
bis conceſſæ, in Privilegijs Patrum Soc: non conti- 128.
nebuntur. Et ita Rota apud Seraph: Deciſ: 1293.
per totam. De quo videndus eſt meus prior Libel-
lus, ſub N. 56. & ſequentes Doctorum authoritates,
in hoc ſenſu ibidem allegatæ.

Non bene ergo Theologus cum Conſilio Vivo- 129.
rum Eruditus dicit folio ſuo 36. Me non poſſe oſten-
dere aliud Ius in Polonia decimandi, quàm Ius
Commune. Ad Hiſpanos & Luſitanos non me re-
mittat, & revocet ſibi in memoriam illud, quod in
menſis, & parietibus ſuis plebecula noſtra ſcribit:
Hoſpes aut abi, aut vtere moribus noſtris. Vna- 130.
quæq; Provincia habet Statuta ſua. Et nobis ſunt:
Alia vocamus Statuta Regni: Alia Synodalia; Vtra-
q; ſufficienter tractant, & obligant ad Decimas; Ex
quibus Contumacibus ad ſolvendum publicantur
pœnæ Excommunicationis, aut Bannitionis, prout
quis ſibi Forum elegerit. Teſtis eſt hujus pœnæ
P. Albertus Męcinski.

Ex iſta occaſione, quod dixit Theologus cum 131.
Conſilio Vivorum Eruditus, fol: ſuo 6. De mente
Suarecij. *Quod Abſoluta Poteſtas totum præceptũ
Decimarum poſſet abrogare, ita ut Laici non tene-
rentur ad quotam Decimæ.* &c. Dico, quod tali Con-
cluſione, ſi ad Effectũ deduceretur, nihil gratiꝰ apud
nos multis accidere poſſet. Sed Pietas Regum, qui 132.
ſunt Fundatores & Patroni Eccleſiarũ noſtrarum, &

p.46. Decimarum. Et zelus Senatorum, tam Ecclesiasticorum, quam Secularium, cum potissima parte Nobilitatis, qui sunt Custodes Legum: procul dubiò dicturi essent, talem Derogationem non pertinere ad Fundationes Poloniæ, quandoquidem non per Ius Commune, sed per Specialia Statuta Regni datæ & assecuratæ sunt Ecclesijs. Sub Titulo. Decimæ.

133. Frustra ergo Conclusione Suarezij, per Impossibilem casum inducta, tanquam clarâ, & definitivâ sententiâ, voluit me esse damnatum, Theologus cum consilio Virorum Eruditus, fol: suo 7.

134. A qua sententia, nulla, injusta, & invalida, appello; appello; non solum ad Statuta Regni nostri, sed etiam ad Sacros Canones, & præcipuè ad S. Generalē
135. Canonē Gangrensem: qui de Decimis ita dicit. *Valde iniquum ergo, & ingens sacrilegium est, ut quæcunque, vel pro Remedio Peccatorum, vel Salute, vel Requie animarum suarum, unusquisque Venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus hæc servari, id est Christianis, & Deum timentibus Hominibus, & super omnia Principibus, & Primis Regionum, in aliud transferri, vel converti*. 16. q. 1. c. 57.

136. Ex his videat meus Lector, qualis sit differentia, inter Sacros Canones, & Opiniones Theologicas. Et sic S. Congregatio, de Iure nostro Speciali, est optime informata, & Decretum ejus subsistit, & ut in

perpe-

perpetuum maneat, cum eodem Canone Gangrenſi, p.57.
plus quam duodecies ingeminamus, & ſupplicamus,
cum votis diuturnæ ſalutis, Innocentio Papæ X. & S.
Congregationi, quod fuſius legitur libello meo ter-
tio, ſub N. 150.

Statuta noſtra contraria Ex-emptionibus.

OBjicit Statutis noſtris Falſitatem, Theologus 137.
cum conſilio Vivorum Eruditus, ſed neſcio quo
modo, cum negare non poſſit, ita eſſe in meo primo
libello poſita, prout ſunt in Synodalibus Conſtituti-
onibus, ex quibus unum hic adduco. c. *Statui-
mus.* Conſt: Provin: lib. 4. poſitum primo meo li-
bello, N. 89. *De Exceſſibus Privilegiatorum.*
Vbi ad finem ita dicitur. *Si quas etiam Eccleſias* 138.
*Parochiales, intra quarum limites Monaſteria ha-
buerint Terras, Agros, Prata, aut alia Bona, de qui-
bus Iure Decimam ſolvere tenentur, in Decimatio-
ne defraudaverint, hos, & omnes, ipſis ad hoc opem,
vel operam in præmiſſis dantes, & ipſorum ſervitijs
intendentes, decernimus, ipſo facto, ſententiam Ex-
communicationis incurriſſe.*

Iam videmus verum eſſe, quod hoc Statutum 139.
compellat Privilegiatos, ad Decimarum ſolutionem,
ſub pœna Excommunicationis.

Ad quod Statutum Theologus cum conſilio Vi- 140.
vorum Eruditus dicit, fol: ſuo 40, illud eſſe latum
ante

p.48. ante natam Societatem, & sic Theologicè non obligare, fol: 38. Ego autem dico, canonicè hoc Statutum multum obligare. Quia sequeretur, neq; sic obligari Theologos Eruditos Iure Naturali; Quo statuitur. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Neq; Iure Divino: Vbi dicitur: *Non concupisces Decimam proximi tui.* Ex ea ratione, quia hæc Iura, Naturale scilicet, & Divinum, sunt constituta multis seculis ante natam Societatem. Quale hoc sit absurdum, judicent omnes.

Aliqua de Hæresi per occasionem:

141. ADhuc dicit Theologus Eruditus, illud Statutum latum esse eo tempore, quo Ecclesiastici nostri Hæreticis favebant, & nuptias volebant. fol: suo 38. & 39. ac proinde hoc Statuto, tanquam de Hæresi suspecto, Societatem non teneri. Et quæstiunculam Theologus Eruditus ibi movet: *Quid ad hæc Canonicus opponet?*

Oppono, & dico: Theologum cum consilio Vi-
142. vorum Eruditum, Virus suum spirare contra Ordinem nostrum Ecclesiasticum, dum audent publico scripto, illius temporis, quo nondum nati erant, sine ullo testimonio, de Hæresi suspectum proclamare, & illi sacrilegas nuptias exprobrare. Quod ego nego, & in Polonia (excepto fortassis unius hominis exem-
143. plo) inauditum esse dico. Quis jam non videat; scholares Theologos Soc: P.P. suos Panegyricos fundare,

dare, in detractione Bonæ Famæ Ordinis noſtri Ec- p. 49
cleſiaſtici. Quaſi vero jam jam Eccleſia Catholica in Polonia laberetur, niſi tantus Theologus, & Conſilium ejus Eruditum, ejusdem eſſent Atlantes. Per DEi gratiam tamen non vos eſtis illa Petra, cui dictum eſt, Et ſuper hanc Petram, ædificabo Eccleſiam meam, contra quam portæ inferi non prævalebunt.

Arguitis adhuc fol: 86 Iuramento Regio hære- 144.
ſes firmatas, ob ſubſcriptam Diſſidentibus Confæderationem, idq; dicitis ſine Ieſuitis eſſe factum. Dico plerumq; ſub Interregno, apud nos Confæderationes fieri, vbi includuntur prima, & multo numeroſiora Catholicorum nomina, ne propter diſſenſiones, Regnum periclitetur. Et ideo diſſidentibus aliquid permittitur, vt unitæ noſtræ vires, non ita contemnendæ hoſtibus videantur.

Exiſtimavit ergo prudentiſſimè, ſine vobis, Ordo 145.
noſter Eccleſiaſticus, ſerviendum eſſe tempori: abhorruit Civilia Bella: Violentas noluit manus injici Ziſanijs; ne juxta Evangelium, eradicaretur & Triticum, & ideo maluit amicabiliter negotium componi, & ad electionem Regis, in quo eſt ſalus & vita Reipub. noſtræ, properari, quàm Bellis, Cives cum Civibus, maximo Reipub: & Chriſtianitatis malo, collidi.

Videmus, quid cum vobis, in Imperio Actum ſit. 146.
Quo fructu Fidei? Quo Emolumento Rei Eccleſiaſticæ? Non ſublata, imo aucta Ziſania; Et de Tritico ô quantum eradicatum.

Sed mihi nunc de Zisanijs, & de Sacrilegis Nup-
147. tijs scribere non est Intentio; superiores hæc sibi temerè, & malitiosè, sine vllo documento obiecta, vtpote ante natam societatem facta, quorum testis illa esse non potest, examinent, & judicent: & in scholares Theologos quantum audeant, animadvertant,
148. an non sit curandum, *Vt malitia ipsa bibat suum venenum*. quod ex Attalo apud Senecam Epistola 31. Theologus Eruditus, pro se notavit. fol: suo 76. Et sic gloriosum victoriæ genus erit, ab eo, cum quo decertes, arma capere, teste Eruditissimo Lipsio, contra dialogistam.

149. Et hic est illorum fortissimus pro fide Murus, ita se contra ordinem Ecclesiasticum opponere: Nam contra Dissidentes in Religione, debiles parietes fuisse vidimus. Qui è Suecia cum Laterna Fidei cesserunt: In Livonia fundati, excitatis Processibus pro Bonis Terrestribus, non permanserunt: Et annis præteritis, ad primos insultus schismaticorum à Kijovia, usq; Cracoviam, causa securitatis sese transtulerunt; illi Collegio ita graves, vt non possint nisi parochialibus Decimis sustentari. fol: 47. & 48.

150. Hæc paucis argumento Theologi cum Consilio Vivorum Eruditi provocatus. Jam redeo ad nostrum statutum supracitatum N. 136. Quidnam in illo, Erudita Theologia scholastica, observavit esse hæreticum vel de Hæresi suspectum? Nonne vt in margine nostrarum constitutionum notatum est, ex Iure

Canonico, & sacris Canonibus desumptum? Iam & p. 51.
hi debebunt vobis esse suspecti, cum nostris Constitutionibus. Hoc est apud me mirabile, quod istæ, 151.
toto suo codice, licet de extirpandis hæresibus, promovendo studio literarum, & in laudem Academiæ Cracovien: multa loquantur, de patribus tamen Soc: ne mentionem quidem unquam fecerint, nisi jam in fine, imponendo ipsis silentium ratione studij Cracovien: donec lis decidatur. Et postea ne amplius Bona stabilia emant, aut acquirant in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lituaniæ. Et hinc quæ supra diximus, vel ipsa Roma judicet, quæ sæpius ad indignationem provocatur, quales apud nos hæreses Theologia scholastica Soc: debellet.

Antemurale pro Fide Catholica, opponunt se 152.
etiam alij Regulares: Et Clerus secularis illa facit, quæ potest, & debet. Ante aliquot annos, Illmus & Rnmus D. Episcopus Cracovien: tantum sua cura Pastorali, & sollicitudine in sua Diæcesi contra Arianos effecit, vt per Canonicum Vladislavien: & Parochum Rakovien: intentata ipsis Actione, quod scripto suo publico honorem SS. Trinitatis læsissent, ab illo loco tanquam Blasphemos removerit: Antesignanum ipsorum, in comitijs Regni, infamem pronunciari, Bona ipsius confiscari, & blasphema ejus scripta, in foro Varsavien: Decreto Regio & Senatus mediante, comburi, zelo suo & authoritate procuraverit; cum perpetuo Arianis libros suos im-

 primen-

p.52. primendi, & Typographias habendi Interdicto.

153. Et hic est apud nos Murus pro Fide Catholica, Rex, Senatus Ecclesiasticus, & Secularis, Tribunal Regni, & Capitanei, qui vocantur Brachium Regale. Absq; his nemo apud nos Murum se esse jactet.

154. Aliquando vnus privatus Homo plus facit pro Fide, quám multi Theologi. In nostra Varmia, audivi sæpius dictum, non in simplici congressu Hominum: Vnum Nobilem, cui à fama cognomen est, qui ad fidem Catholicam vxorem suam Luteranam, cum liberis prioris Matrimonij, convertit, & duas villas, a Dissidentibus in Religione, cum multis Colonis precio recuperavit, Et sic Dominio Ecclesiastico magis per fidem incorporavit; tali Actu, nostris temporibus, plus vnum illum fecisse pro Fide, quám duo Collegia.

155. Dicent fortassis, ad conversionem non superesse sibi talia argumenta. Respondeo; & ipsos Apostolos hujusmodi non esse vsos. S. enim Petrus de se dicit. *Argentum & Aurum non est mihi.* Sanctus verò Paulus. *Argentum & Aurum nullius concupivi, sicut ipsi scitis.* Optimum profecto hoc posterius, & efficacissimum ad conversionem Gentium Remedium. Sed quis nostrum ita hæc audacter, & sine hæsitatione dicere potest. Vnde si volumus pro tuenda Fide videri Murus, & in prædicando Evangelio Apostoli, opus est, vt simus imitatores Sanctorum Petri & Pauli. Longum iter per-

præ-

præcepta, brevius & efficacius esset per Exempla. *p. 53.*

Secundum statutum Gembicianum.

ALiud statutum oppono; quod vocamus Gembicianum, de Anno. 1621. tenoris sequentis. *Regulares quoq; intelligant, se ex Possessionibus; quas acquisiverunt, vel in dies acquirent, teneri Decimas prædiales solvere, quemadmodum tenebantur Seculares, priusquam Possessiones hujusmodi, in Regulares transtulissent. Alioquin eosdem Regulares, nisi Iudices Conservatores elegerint, juxta præscriptum Constitutionis S. D. N. die 29. Septemb. Anno 1621. hac de re editæ, coram locorum ordinarijs conveniri posse.* 156.

Hoc statutum, prævio Examine Eminentissimorũ Concilij Tridentini Interpretum, à Summo Pontifice Gregorio XV. confirmatum est, *Vt ab omnibus, & singulis Personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam cujusvis ordinis, & Instituti Regularibus, nemine prorsus, quovis prætextu, & causa excusato, observaretur. Ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunq;.* Vt latius patet in literis Confirmationis de Anno 1623. die 16. Iunij. 157.

Et sic verum est, ob Decretum irritans, in Confirmatione nostri statuti appositum. S. Rota aliter judicare non potuit. Vt non semel eadem in suis 158.

p. 54. Decisionibus censuit. De quo vide meum secundum libellum, N. 22. Rota Decis. 666 apud Farinac: & Decis: 618. in noviss: apud Rubeum. & alijs in locis passim.

159. Quod autem dicunt in Derogationibus Iesuitas specificè ponendos esse, & eorum Privilegia de verbo ad verbum inserenda.

160. Respondeo: Idem Gegorius XIII. nostra Statuta confirmando: *In virtute S. Obedientiæ, illa observari ab omnibus mandavit. Non obstantibus Privilegijs quomodolibet concessis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habere voluit, specialiter & expressè illis derogando.* De quo vide fusius meum priorem libellum N. 106. & sequen: Atq; hic intrat optimè argumentum illud Theologicum, positum fol: ejus 7. Quod est inductum authoritate Papæ, potest auferri authoritate Papæ. &c.

161. Hæc omnia, triginta circiter annis, ante Decretum S. Congregationis constituta sunt. Iam ergo Theologus cum Consilio Vivorum Eruditus judicet, quâ fronte, tot falsitates manifestæ Veritati plenis buccis objecerit, quod in Polonia Exemptiones non fuerint prohibitæ. Si enim non essent, quare P. Albertus Męcinski, in judicio Tribunalis Regni fuisset Bannitus, & in foro Ecclesiastico excommunicatus, ob non solutionem Decimarum. Attestante hoc ipsa Rota, coràm R. D. Cerro, in Cracovien: Decimarum.

marum. die Lunæ. 21. May. 1640. ita ipsis Patribus Soc: informantibus. *Quæ autem major esse potest probatio, quam proprij Oris Confessio?* p. 55.

Vltimo suo folio 91. Theologus cum consilio Vi- 162.
vorum Eruditus, cordatissimè falsum esse dicit. Sex Villas a Mensa Episcopi Posnaniensis alienatas, tanti societatem fecisse, ut illas acceptaret, cum onere, & obligatione, Parochis solvendi Decimas, seu alios Proventus, contra sua Privilegia.

Ego autem dico cordatissimo Theologo, id non 163.
falsum, sed plusquam verum esse: Quod ita probo: Lucas à Koscielec Episcopus Posnaniensis die 1 Iulij. 1579. Posnaniæ, fecit donationem villæ Ianussewice Patribus Soc: quæ est vna, ex illis villulis diminutive à Theologo Erudito positis, in cujus publico Instrumento expresse est talis Clausula. *Saluis tamen per omnia Missalibus, vel alijs proventibus ad Parochialem Ecclesiam, ad quam præfata villa pertinet, vel alias quocunque modo, De Iure, & consuetudine spectantibus.*

Item idem Lucas à Koscielec, Episcopus Posna- 164.
niensis, die 8. Novemb: Anno 1587. Posnaniæ: dat, & donat Patribus Soc: *Villam Slupia*, Vnam etiam ex illis sex villulis, in cujus villæ Donationis publico Instrumento, expresse est posita eadem Clausula: videlicet: *Salvis tamen per omnia Missalibus, vel alijs Proventibus, ad Parochialem Ecclesiam, ad quam prædicta villa pertinet, vel aliàs*

p. 56. *aliàs quocunq; modo de Iure & consuetudine spectantibus.*

165. Et sic notetur audacia, & Præsumptio Consilij Scholastici, quod manifestè verum est, illud vbiq; Falsum, sine fronte, asserere. Quasivero & illud verum sit, quod notavit Theologus cum Consilio virorum Eruditus, fol: suo 91. Quod eo tempore, quo fundabatur Collegium Posnaniense: Bona omnia Ecclesiastica, in acie novaculæ versari videbantur, nisi Patres tantum periculum amovissent. O nugas meracissimas, quibus omnes Fabulæ jam erunt veriores.

Donatio sex villarum Episcopi Posnanien: fol: 89.

166. EXtenuat Thologus cum Consilio virorum Eruditus, Donationem Episcoporum Posnaniensium: & vocat sex villulas. quæ illius temporis, quando datæ sunt, Duorum millium, Ducentorum, & viginti florenorum proventum annuum non superabant, qnando ante 80. annos, vnus vngaricalis, minùs quam vnam marcam Polonicalem valebat, qui si reducantur ad præsentem valorem pecuniæ. jam
167. faciunt Octo millia florenorum Et tamen quemadmodū diminutivè villulas posuerunt, ita & Proventum non exaggerarunt. Iudicet Roma, an Episcopi Posnanienses non fuerint liberales, quorum Beneficium,

neficium, gratitudo potius debuit deprædicare, p. 57.
quàm extenuare. Quid postea successione, & ingenio accesserit, nolo esse curiosus in alienis Proventibus.

Hoc optarem, ut Rn^mus Generalis Præpositus 168.
Soc: pro Polonia semel declararet, Quot millium florenorum Proventus annuus pro sustentatione vnius Collegij, sufficiat, ut sit aliquis terminus acquirendi. *Non plus vltra.* Quia scio, in Flandria, & Brabantia, fortassis & in Gallia Edicto Regio cautum esse, ne ex Bonis Terrestribus, habeat ibidem vnum Collegium Patrum Soc: plus quam septem vel Octo Millia florenorum annui Proventus. Authenticè hoc mihi datum est Antverpiæ, sed modo cum hæc in Itinere scribam non est ad manus. Et videtur mihi plus me scripsisse, quam sit in Rei veritate.

Apud nos, cracoviensi Collegio, vltra Fundati- 169.
onem, communiter dicitur ex Patrimonio vnius P: Alberti Męcinski, annui reditus, plusquam quindecim millia florenorum accessisse, vltra alia quæ aliunde venerunt: & tamen dicunt se pauperes esse.

Propterea dico, quando Privilegia Exemptionis 170.
fundant in sua paupertate; Examen esset necessarium in Synodo aliqua Provinciali, & Panegyrici probandi, præsente Nuncio Apostolico, ad verificandum ea, quæ secundum plus, & secundum Minus, Homines loquuntur. Vt etiam scriptum adversum habet. fol: suo 25.

Hoc

p. 58. Hoc eſt mirabile, quod non poſſum capere.
171. Quando dico Collegium Cracovienſe non debere locupletari, cum Damno & injuria Cleri ſecularis, indignatur mihi Theologus Eruditus, paupertatem exaggerat, compaſſionem movet, merita ſua enumerat, Panegyricos deprædicat, & concludit ita pauperes eſſe, ut ſine Decimis Parochorum ſe ſuſtentare commodè non poſſint, eo præſertim tempore, quo Murus ille contra Schiſmaticos fortiſſimus, Cracoviam ſe ſe pro ſecuritate recepit.

172. Quando vero dixi, Ab initio Patres Soc: Poſnaniam veniſſe pauperes, aliena ope egentes, & Beneficio Epiſcopi notabili ſex villarum Proventu ſublevatos: Ita mihi reſpondet Theologus cum Conſilio vivorum Eruditus, fol: ſuo 90. *Non puduit Adverſarium, in tanta luce temporum, & Hominum, viris excellenti doctrina, & pietate commendatisſimis, (id eſt Jeſuitis) ſortem alicujus mendicabuli affingere.* Et tamen eo nomine ſex villas ab Epiſcopo Poſnanienſi acceperunt.

173. Jam Lector ſeu Iudex meus benevolus judicet, qualis ſit ſcripti Theologici, & quidem à Conſilio vivorum Eruditi connexio, quando in vno loco divitias negat, in alio Paupertatem abominatur. Vbi in eodem loco, ſummo honori ducit, duos Ieſuitas in Domo Regia Pedagogos fuiſſe, Canonico verò Poſnanienſi vult eſſe contumeliæ, quod Principis viri Filio, jam Militi & Capitaneo, voluntate ſuperio-

rum

rum, in Peregrinatione familiaris Director fuerit. p. 59. fol: 75.

Bannitio & Forum ratione Decimarum. fol. 34.

MOlestè fert Theologus Eruditus, P. Albertum Męcinski toties à me nominari Bannitum, ob non solutionem Decimarum. Deus mihi testis, id me fecisse non per modum insultationis, sed necessitate adductum, vt Curia Romana hoc præjudicatum imitaretur, & cognosceret, tali pænâ apud nos, in Iudicio Tribunalis Regni puniri contumaces in solutione Decimarum, tanquam Possessores Bonorum, hujusmodi oneri Decimarum subiectorum. Et hinc 174. 175.
patet Theologum tantoperè cum Consilio vivorum Eruditum, Legum & Iudiciorum nostrorum esse imperitum; qui folio suo 33. & 34. dixit, quod omnes Controversiæ De Decimis, ab Ecclesiasticis judicantur, & quod eorum negatio, pænis Ecclesiasticis puniatur. *Numquid Bannitio est pæna Ecclesiastica?*

176. Triplex ergo nos habemus Forum, ratione Decimarum. Primum Ecclesiasticum, vbi contumacibus, de Iure Canonico, pæna Excommunicationis. Secundum Forum est Iudicij Terrestris, Ratione Bonorum, & per Appellationem, Tribunalis Regni; vbi pæna est Bannitionis, juxta Statuta Regni. Ter-

p. 60. tium Forum est post Curiam Regiæ Majestatis, ratione Bonorum Regalium, vbi pænæ sequestrationis & Privationis Bonorum &c:

177. Primum nostrum Forum Ecclesiasticum, non ita Efficax, ratione Excommunicationis, quæ plerumq; á Theologis Eruditis (vt vidimus Cracoviæ ante duos annos) & sic pessimo Exemplo, à Nobilitate contemnitur.
178. Duo posteriora, sunt magis Executiva, & possessoribus Bonorum valde metuenda, nunquam enim ibi bonam causam perdimus, & Iudicati Executionem habemus. Quid ergo Culpæ est, quod dicam, Causas nostras Decimarum, Privilegio Polono, & Statuto Regni assecuratas, ut celerius & securius finiantur, non esse amovendas à Iudicio Terrestri, & Tribunalis Regni, ratione Bonorum Terrestrium? Propterea quod Curia Romana, statum, conditionem, & obligationem illorum non intelligat, & plerumq; malè informetur, etiam à Theologis Eruditis, quorum assertio secundum Deum, & secundum veritatem esse deberet.
179. Plebani etiam nostri, ad Lites Romæ cum Iesuitis faciendas, non sufficiunt, vnde Dote & Fundatione suorum Beneficiorum spoliati, potius eligunt, intra domesticos parietes lachrymari, & coram Deo suo ad Altare ingemiscere, quàm cum potentibus Adversarijs, extra patriam litigare. Cum quibus ne quidem modo aliquid effecissent, nisi totus Clerus synodaliter auxiliarem manum illis porrexisset. Quod

Theologus cum Consilio vivorum Eruditus importunitatem, & molestationem vocat, fol: suo 46. p. 63.

Dicit adhuc Theologus cum Consilio vivorum Eruditus, P. Albertum Męcinski fuisse Illmæ Familiæ prolem, ac proinde obiecta illi sæpius Bannitione læsum: ac si alicujus Haidonis filium. fol: 78. 180.

Debet habere Illma Familia patientiam, quia omnes ejusdem & eminentioris generis si sint contumaces debitores Decimarum, in Ius Terrestre & Tribunalicium vocati, tali pæna Bannitionis, sine Exceptione puniuntur. 181.

Ex Haidonibus, ego neminem vidi, nec audivi Bannitum, cum enim isti milites, qui possunt esse honesti Homines, & aliquando Nobiles, plerumq; sint pauperes pedites, & nullorum Bonorum Terrestrium possessores, ideo prout Decimis, ita & pænæ Bannitionis non sunt subjecti. 182.

Dicere tamen de nostris Haidonibus possum, plures ex illis esse in Polonia Martyres, quàm Theologos Soc: Provinciæ Polonæ; quia plures pro Rege, Patria, & Fide Catholica, in acie contra Christiani Nominis Hostes pugnando, à Ducibus suis, & Confessarijs ad eum finem animati, gloriosi milites, & sic Martyres sine numero occubuerunt. Credo P. Al- 183.
bertum Męcinski, gloriosum in Iaponia Fidei Christianæ testem, jam gloriæ cælestis participem, non contumeliæ sibi ducere, si videat aliquem Haidonem, merito, & præmio Martyrij sibi æqualem. 184.

p.62. Quod nomen Haidonis Theologus cum Consilio vivorum Eruditus, & quidem Cichovius, ad contemptum militaris conditionis, certè non Theologicè, imo ne quidem Politicè, sed scholasticè indi-
185. gnabundus apposuit fol: suo 78. Ita Theologi Eruditi plerumq; de alijs contemptim, de seipsis autem per paradoxum sublimiori stylo, vt pote: *Qui amplissimas fortunas, & spem sublimium Ecclesiæ dignitatum, quam eis Natalium splendor, Principum favor, Doctrinæ profunditas, conferebant, certissimam abiecerunt; nemo credet, qui cerebrum in Capite, non in calcaneis gestat.* Verba sunt expressà fol: ejusdem 83. Et hoc suggessit Eruditissimus Lipsius, à Theologo Erudito adductus fol: suo 76.

Per Leges Regni Canonicus, Non Episcopus. fol: 83.

186. DIcit Theologus cum Consilio vivorum Eruditus, me Canonicum non posse esse Episcopum, per Leges Regni: Hic latet angvis in herba, spirans venenum. Edisserat Theologus suam parabolam: advertistine aliquando me ambientem Episcopatum, aut tua promotione indigentem?

187. Quid obstat, quod Canonicus I. V. D. non possit esse Episcopus per Leges Regni? An infamis? aut illegitimus? aut aliquo Crimine notatus? An est aliquid ex eo genere impedimenti, quo quidam vester

ſter Theologus, poſt defunctum Cielecium ambitioſus, non potuit eſſe Epiſcopus Plocenſis? p. 63.

Si hoc obſtat, quod ſim genere Civis Poſnanien- 188.
ſis, tamen aliquando & mei concives fuerunt Epiſcopi; vt non adeo pridem Concivis meus Gaſparus Hap, fuit Epiſcopus Ennenſis, Suffraganeus & Adminiſtrator Poſnanienſis, in domo Illmorum Opaliniorum benemeritus. Sed jam ſcio quid intendat Theologus cum conſilio vivorum Eruditus. Non de- 189.
buit dicere, me non poſſe eſſe ſimpliciter Epiſcopũ, ſed inquantum Senatorem, per Leges Regni. Numquid ergo omnes in Regno poſſumus, aut debemus eſſe Senatorij ordinis? Quid culpæ, aut pudoris, eſt, naſci Civem Poſnanienſem, omnibus alijs majoribus Civitatibus, Privilegijs, prærogativis, æqualem, quod ruſticè reprehendere, & mihi pudori eſſe voluiſti? Non erubeſco Natales meos, quibus ſi aliquid Civilis honeſtatis deeſſet, profecto Illmus & 190.
Rnmus D. piæ memoriæ Andreas Szoldrscius, Epiſcopus Poſnanienſis, ſibi bene notum, & 18. annis in Aula, in caſtris, in peregrinatione Familiarem, Patronus & Benefactor meus, non me ſuum Canonicum Cathedralem feciſſet, & illud Nobiliſſimum Capitulum per concurſum ad Doctoralem Canonicatum, in confratrem non elegiſſet. Et quis iſta obijcit? Vnus Theologus Cichovius, cui non à nobili aliqua Familia, ſed ab originis ſilentio cognomen eſt,

Sufficit

p. 64. Sufficit ergo mihi fuisse Canonicum Posnanien-
191. sem, vbi natus sum: nunc esse Varmiensem, Illmi & Rnmi D. Venceslai Comitis á Leszno Episcopi Varmiensis Beneficio, illiusq; Nobilissimi & Prudentissimi Capituli concordi suffragio Canonicè Electum: Aliquando etiam, si Deus voluerit, futurum in effectu Cracoviensem, post sera fata Patroni mei, qui me sibi Coadiutorem, & Successorem, ad commendationem Principum; cum Beneplacito Sedis Apostolicæ; voluntate Illmi & Rnmi D. Episcopi Cracovien: & consensu illius Jllmi & Nobilissimi Capituli, designavit. Contentus sum sorte, & fortunâ meâ, jam receptus in Seminarium Episcoporum: quod familiâ etiam Illmi difficulter assequi possunt.

192. Erubescat Theologus cum Consilio vivorum Eruditus, & apud se expendat, an Theologicè agat, quando cum vitia non possit, fortunam alterius Civilem, fortassis ipse villanus, reprehendit.

193. NEq; hoc illius, pudori aut ignominiæ objicio. Quia *Nos qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate; sed morum Nobilitatè innotescere debemus: nec vrbium claritate, sed fidei puritate*. 40. Distin: c 3. *Ille vilissimus computandus est, nisi præcellat scientiâ, & sanctitate, qui est honore præstantior*: 1. q. 1. c. 45.

Ciceronis prudens dictum risu exceptum, fol: 43.

Ne

NE Cupiditas alienum appeteret, posui Cicero- *p 65.*
nis prudentissimum dictum & totius Politicæ 194.
& societatis Humanæ fundamentũ; quod sequitur.
Si sic erimus affecti, vt propter suum quisq; Emolu-
mentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi ne-
cesse est eam, quæ maximè est secundum Naturam,
Humani Generis Societatem. Vt si vnumquodq;
Membrum sensum hunc haberet, vt posse putaret
se valere, si proximi Membri valetudinem ad se
traduxisset, debilitari & interire totum corpus neces-
se esset. Sic si vnusquisq; nostrum, rapiat ad se 195.
commoda aliorum, detrahatq;, quod cuiq; possit,
Emolumenti sui gratiâ, societas Hominum, Commu-
tasq; evertatur necesse est. Nam sibi, vt quisq;
malit, quod ad vsum vitæ pertineat, quam alteri
acquirere, concessum est non repugnante Natura.
Illud quidem Natura non patitur, vt aliorum spoli-
js, nostras facultates, Copias, Opes, augeamus. Neq; 196.
verò hoc solum Naturâ, id est Iure Gentium, sed
etiam Legibus Populorum, quibus in singulis Civi-
tatibus Respublicæ continentur, eodem modo constitu-
tum est, vt non liceat sui commodi causâ, nocere al-
teri; hoc enim spectant Leges, hoc volunt, incolu-
mem esse hominum conjunctionem: quam qui diri-
mũt, eos, morte, Exilio, vinculis, damno, coercent. At- 197.
q; hoc magis exigit ipsa Naturæ Ratio, quæ est Lex Di-
uina, atq; Humana, quam qui sequitur, nunquam
committet, vt alienum appetat, & id quod alteri

detraxe-

p. 66. *detraxerit, sibi assumat:* Cicero offic: lib. 3 cap. 3.
198. Compatitur mihi Theologus cum Consilio virorum Eruditus, quòd talem doctrinam Philosophi allegaverim, quam ille tantopere Eruditus, sine risu legere non potuit. Vt asserit se risisse Ciceronem, multum scilicet de Parochialibus Decimis sollicitum. fol: suo 43. § Deniq; Ego vero existimo & in Materia Decimarum ad refrænandam alieni cupiditatem, hoc prudentissimum dictum rectè esse applicatum. Quod fere eodem sensu, in nostris Statutis Regni scriptum est: sub Titulo.

De Raptu Decimæ Prædialis.

199. *IN Nomine Domini Amen. Cum scriptura testante, omnis ætas ab adolescentia sit promptior ad malum, & omnis Creatura consistat sub Vitio: naturaq; humana facilius labitur ad delicta, sic etiam quod vitia imitetur. Quamvis enim Domino disponente, sibi subditi debeant fore pudici, modesti, Iusti, ac pacifici: Effrænata tamen Cupiditas, nisi Iustitia conatus subverteret, tunc profecto con-*
200. *cordia, & Pax, inter Homines deperiret. Summum autem Bonum in hac vita est, Iustitiam colere; & vnicuiq; quod suum est tribuere. Et propter hoc conditur Statutum, seu Constitutio: Vt humana coerceatur audacia: & inter improbos, innocentia securitate lætetur. Et infra. Requirit enim plerumq; audacia perversorum; vt non simus sola delictorum prohibitione contenti: Sed*

etiam

etiam pœnam delinquentibus imponamus. Kazi- p. 67.
mirus Rex. Iaroslaus Archiepiſcopus Gneſnenſis. Et
Bodzanta Epiſcopus Cracovienſis, ſubſcripſerunt.

Jam vellem, vt Thologus cum Conſilio vivo- 201.
rum Eruditus, irrideat hoc Statutorum De Decimis
præloquium: ſed credo non facturum, revocando
ſibi in memoriam, vigore eorundem, alterum Theo-
logum, non adeo pridem fuiſſe Bannitum, ob non
ſolutionem Decimarum. Quæ cum ita optimè
cum ſententia Ciceronis conveniant, jam rogo di-
cat Theologus Eruditus Cauſam, quare prudentis-
ſimum dictum Ciceronis irriſerit? Si cauſam non 202.
dixerit, jam erit vnus ex illis cum Conſilio vivorum
Eruditis, qui juxta Ariſtotelem, ridiculos habent vſus
in contradictionibus, & fateri debent juxta eundem;
magis Sophiſtarum, quam Philoſophorum, (aut
Theologorum) morem eſſe, ridendo eludere, quæ
refutare non poſſunt. Rhetor: 3.

An non Cicero majorem occaſionem habuiſſet 203.
riſus, ſi vidiſſet Theologum cum Conſilio vivorum
Eruditum, contra ſua præcepta exorbitantem, ali-
cubi in Dominiis Catholicis, non poſſe compare-
re, niſi mentito habitu, & ſæpius mutato vultu, &
moribus, ne agnoſcantur, ob interdictam ſibi So-
cietatem Humanam.

An non & illa vice juſtè riſiſſet, ſi vidiſſet Theo- 204.
logum, contra ſua præcepta etiam in Decimis exor-
bitantem, per mare, per terras, inuſitata celeritate,

 ab Indi-

p. 68. ab Indijs in Poloniam redeuntem, & properantem, ad tollendam Bannitionem, quæ nihil aliud eſt,
205. quàm interdictum ſocietatis Humanæ? Riſiſſet profectò Homo Ethnicus, & dixiſſet: Quorſum tam celeri gradu properat Theologus, quem Bannitio Polona vſq; ad Indias non perſequitur? Quare propagandæ Fidei ardor deſeritur, & propter Terreſtria Bona, vſq; in Poloniam convertitur? Fortaſſis & de Converſione ſua diſcurſum habuiſſet, & Theologum detinuiſſet, ſed obedientia Theologi properantis, tunc temporis, non erat pro Fide.

Cantilena fol: 78. & 79.

206. POſthabitis alijs, in ſcripto Theologico contentis, tanquam inconvenientibus, & Canonica replicatione minùs dignis; jam venio ad Cantilenas, vltimo loco reſervatas, vt Lector ſeu Iudex meus benevolus animadvertat, me non eſſe injurioſo ſcripto exacerbatum.

207. Et cum in fine aliquis crederet, me tantopere ſine juſta Cauſa à Theologo cum conſilio vivorum Erudito, læſum, debuiſſe querelam aliquam publicam deponere, & pænas vrgere de clandeſtino libello, ſine Cenſura, & approbatione publicato. Nihil tale facio, vituperia mea, Maledictiones, & contumelias, offero pro peccatis meis: Beatum reputans illum qui perſecutiones patitur propter Iuſtitiam.

208. Vult ergo à me Theologus cum Conſilio vivorum Eruditus, audire cantilenam, & hanc in pænam, quod ſæpius Bannitionem non ſolum P. Al-

berto Męcinski, ſed etiam Rectori, & Procuratori obiecerim, ac proinde contra præſcriptum Legũ Polonarum exceſſerim, aliàs juxta easdem puniendus, niſi Patres religioſa veniæ inimicis dandæ recordatione, ab Actione retraherentur. fol: 79. p. 69.

Reſpondeo.

Quoniam verum eſt, P. Albertum Męcinski ob 209.
non ſolutionem Decimarum fuiſſe in Iudicio Tribunalis Regni Bannitum, vt atteſtatur ipſa Rota: in Craçovien: Decimarum, 21. Maij. 1640. coram R. P. D. Cerro, ex Informatione Patrum Soc: ideo in devolutione Cauſæ ejusdem ad Curiam Romanam, nullo modo potuit omitti mentio illius, eo fine, vt ſupra dixi, ne Curia Romana à tam juſto præjudicato recederet. Et ideo 210.
quod dixerim P. Rectorem, & Procuratorem Bannimento illius læſos, ad Concordiam cum Plebano adductos fuiſſe, nullum culpam commiſi, neq; pænam promerui. Lex enim illa, & pæna illius, à Theologo cum Conſilio Vivorum Erudito comminata, de Bannimentis alicui objectis & probatis, ne quidem cogitavit.

Sincerius ego Lectori ſeu Iudici meo benevolo, 211.
explico illam legem, & ejus pænam, quæ eſt in Statutis Regni ſub Titulo, *Nobilis*. fol: 298. videlicet: *Quando Nobilis Nobili improperaverit, aſſerens illum eſſe filium Meretricis, & ſtatim non revocat: aut negat: neq; probat eum eſſe talem, ut aſſerebat:*

p. 70. *pro vituperio illius, ratione pœnæ, soluat 60. Marcas, veluti si ipsum occidisset. Idem dicimus: Si Matrem ipsius Meretricem nominaverit, nec probaverit, in similem pœnam incidat Revocationis (antilenam promeritus*; quæ ibi expresse posita est.

212. An hæc lex serviat ad obiectam Bannitionem, tanquam indubitatam & probatam, judicet meus Lector, seu Iudex Benevolus, & Theolog⁹ cum Consilio vivorum Eruditus animadvertat, an non sit ille ipse Prævaricator, quo Titulo me innocentem vltimâ suâ Paginâ ornare voluit, dum non consonam Causæ legem, suppresso illius legitimo sensu, animo potius alterius Bonæ famæ nocendi, quam veritatem dicendi, allegare non erubuit. Et hinc pateat, quales sint Patres, in danda venia inimicis, Religiosi. quod sibi laudi esse volunt. fol: 78. ad finem.

213. Potius Theolog⁹ cum Consilio vivorum Eruditus, Cantilenam cantare deberet juxta legem à se citatā, quæ sic incipit. *Cū omnis scurrilitas verborū, & turpiloquiū, Homines, ad rixas provocans, apud virtuosos homines, non immerito debeat evitari, atq; (nisi metu pœnæ, quandoq; aliqui prohibeantur à talib⁹, & refrenentur) nequeūt alias prohiberi. Vnde vol:* &c.

214. Cum ergo natales meos Civiles, sine causa, rusticè inculpavit, & sic cum vitia non posset, fortunā reprehendere voluit, vt supra N. 183. omnino illū Cantilenæ obnoxium esse volo: cum hac differentia, quod non vrgeo aliquam infamem, sicut ille, sed honoratissimam quam etiam quilibet Religiosus, ipsa vitæ sanctitate conspicuus, cantare possit. Et sit illa Laudabilis ex Plauto.

Pul-

Pulchrius eſt Nobilem Virtute fieri, quam naſci.

SEd ſcio Theologum cum Conſilio Vivorum Eru- 215.
ditum, etiam tam Nobilem Cantilenam non cantaturum: cum ſit ex illa ſchola, quæ in Polonia etiã Evangelium, & Epiſtolam, ad SS. Miſſæ Sacrificium cantare erubeſcit, annis præteritis Secularibus Præſbiteris in hoc Officio uſa, donec id per Conſtitutionem Synodalem fieri prohiberetur.

Eo ipſo Theologus cum Conſilio Vivorum Eru- 216.
ditus, videat, an non inurbanè agat, quod me Canonicum Cathedralem Cantorem ſibi eſſe velit, & quidem meretriciæ Cantilenæ. Profectò ſilentium ſuo cognomini debitum promeruiſſet. Sed ne vel inde tantopere offenſum me eſſe ſibi exiſtimet. In gratiã ipſius, & Conſilij ejusdem Eruditi, aliquid opportunum à pueris meis cantari volo, quorũ ſit. Cantilena.

Integer Vitæ, ſcelerisq; purus, 217.
Non timet Mauri jacula, nec arcus,
Nec venenatis gravidam ſagittis,
Fuſce faretram.

Concluſio.

ATq; ita Theologus cum conſilio Vivorum Eru- 218.
ditus animadvertat, parum ſe Theologica ſua Reſponſione profeciſſe: & plus Vindictæ, quam Iuſtitiæ, ſcripto ſuo oſtendiſſe. Si deinceps aliquid ſolidius ſcribere velit; Tria hæc cordi habeat.

Primo. Non ſit tantopere indignabundus. *Quia* 219.
vera Iuſtitia compasſionem habet, falſa verò dedig-gnationem: quamvis & juſti rectè ſoleant peccatori-

p. 72. *bus dedignari. Sed aliud est, quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ.* Dedignantur etenim, *sed non dedignantes.* Et post pauca. *At contra hi qui de falsa justitia superbire solet, cæteros quosq; despiciunt, nullâ infirmantibus misericordiâ condescendũt, & quo se peccatores esse non credunt, eò deterius peccatores fiunt.* Distin. 45. c. 15.

220. *Secundo.* Non vtatur contumelijs, & Maledictionibus: Quia si hæc facere Theologia permittit, Sacri Canones prohibent: Vt habemus in prima parte Decreti, his verbis. *Clericus maledicus (maximè in sacerdotibus) cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur: nec vnquam ad officium absq; satisfactione revocetur:* Distin. 46. c. 5.

221. *Tertio.* Professionem Fidei sæpius in memoriam sibi revocet. Quia inde discet, opiniones Theologicas, Sacris Canonibus, non dominari, sed famulari debere. Et sibi dictum putet. *Ne innitaris prudentiæ tuæ: prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum Decretis præ-*

222. *ponit.* Et: *Canonum Statuta custodiantur ab omnibus: Et nemo in Actionibus, vel judicijs Ecclesiasticis, suo sensu, sed eorum authoritate ducatur.* c. 1. & 5. De Constitutionibus.

223. Et hæc pro Iure, ex Iustitia Cleri secularis, (cum cautione, ne in posterum Canonica patientia immodestis Theologicis scriptis exasperetur, & sic par pari reddatur) Bono Publico dedicavit.

Joannes Markievvicz.

F I N I S.